CL. GAL.

DE FACILE PARABILIBVS LIBER.

De Theriaca Lib. II.
De antidotis Lib. II.
De adumbrata figura Empiricj.

Nunc ex plurimorum codicum antiquorum lectione pristinæ integritati restituti.

IN VIRTVTE



ET FORTVNA.

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium,

1560

GALENI LIBER DE FACILE PARABILIBVS, QVI PRIVS SINE CApite, ac pluribus partibus mutibus tã græce q̃ latine circunferebatur, nunc vero ex plurium codicum antiquorũ lectione ſuæ integritati reſtitutus.

ARtem medicam, nullis vnquã ciuitatibus, nullis locis publicis opulentisve hominibus, aut nobilibus, aut principib⁹, aut potentibus, circunſcriptam. Sed quę potius, præ ingenti erga genus humanũ beneuolentia, ſuaq́; maxima vtilitate, ad omnes tandẽ homines pertinet: quæq; ſaltẽ poteſtate, q̃uis actione, ob negligẽtiam eorum qui illi operam nauant, nũc videatur deficere, ad rura ipſa ac etiam ſolitudines fines ſuos prorogauit, æquũ eſſe duxi vt pro mea virili, ad eorum miniſterium, qui iter facerent, & eorum etiam maxime qui ruri ac in ſolitudine verſantur traducerẽ, vbi in corporibus facilis quidem & præter omnem expectationẽ eſt morborum, tum pro uẽtus,

tum vis, nec tamen postea ita facilis est remediorum copia. Nam neq; quocunque loco in promptu medicamenta preciosa esse possunt, neque præterea medici prȩsentes sunt, qui eis vti nouerint: quum tamen tales plerunque adsint circunstantiæ, vt nullam dilationis occasionem præstent: vt in angina, venenosisq; medicamentis, atque morsibus animantium virus eiaculantium, nec nõ in sanguinis profluuiis, cholerisq;, ac id genus alijs solet euenire. Vnde neq; sciẽtificas atque exquisitam curandi rationem omnibus suis præceptis absolutam, hoc in loco explicare institui. Sed eã qua posit quis, vel etiam vulgaris, pericli tantibus casu, quopiam, aut alioqui male affectis hominibus illico opem fer re, illis sanè remediis vsus, quæ in tanta rerum difficultate, sint paratu faciliora. id. n. reor iure esse supponendum, ꝙ ratio materiæ quȩ exquisita, & omnino ex arte est, atq; etiã remediorũ vsus, qui ex scientiæ ratione sit, eo maxime tem pore necessaria sunt, quo & medicamẽtorum atque etiam medicorum copia nobis suppetit. At vbi occasio prȩceps est, nec in prõptu copiosa ac larga sit remediorũ affluẽtia, summopere necessa-

riam

riã eo tẽpore facultatẽ medicamentorũ, quæ paratu facillima sint, illis esse arbitror, qui quauis corporis particula malè afficiũtur. Describã igitur remediorũ facile parandorũ materiã: quandoq; tamẽ quãuis id raro, aliquã etiã exquisititiorũ medicamentorũ, q̃ ꝓpterea ꝙ in vsu multis sint, facilè haberi possunt, mentionẽ faciã: sumamq; à capite exordiũ. Ipsum etenim tanquã arx totius corporis est, & veluti habitaculum sensuum qui in summo sunt honore, atque hominibus maximopere necessarij. & proinde, ab illis remedijs quæ illi ex vsu sunt, initium faciam. Imprimis ea prosequẽs quæ facilæ haberi posint, quæque maximè aperta sint. Caput multifariam affici potest. nam ex æstu, ex frigore, ex vaporibus qui à ventriculo tolluntur atque id replent, ex externis etiã quæ grauitatẽ illi afferũt, quęq; fetida sunt, & ex alijs multis. Præterea vero sæpe turpitudine quadã secũdũ cutẽ & capillos tenetur, vt sunt alopeciæ & ophiases, varięque vlcerum differentiæ. Æstus itaque ac frigoris, vaporumq; pręterea qui ex externis rebus excitantur, signa quæ satis esse possunt, sunt illæ ipsæ causæ manifestæ, procatarcticas Græci appel-

lant. Iam vero illos qui ex æstu laborãt, hæc consequuntur, dolor cum pulsu, vt vniuersum caput sideratione teneri videatur (Græci sphacelum vocant) cum sensu ignei caloris, vasorum circa frontem distentio, oculorum rubor, plerũque etiam vigilia. Eos vero qui ex frigore, grauedo cum stupore, congelatio, vasorum secundum frontem concisio. ꝙ si frigori iungatur humiditas, sopor. At eos qui ex vaporibus, dolor pungens, pulsus arteriarum quæ circa frontem sunt, vertigines, oculorum hallucinationes, aurium sonitus, quæ eadem etiam his, quibus ex interna causa caput vaporibus repletur, euenire solent.

De capitis dolore ex Solis æstu.

Capitis dolori ex Solis æstu medetur affusio olei immaturi, frigidi. Quod si vehementior fiat dolor, rosacei cũ aceto. Quod si rosaceum in promptu non habeatur, oleo acerbo siue immaturo vtẽdum, olei partibus quatuor, aceti vna immissa, si moderate refrigerare cupias, nam alioqui plus foret adijciendum. Aestuante autem vehementius capite, commiscendus aceto succus, aut polygonij. i. sanguinariæ, aut plantaginis, aut portulacæ, aut lactucæ, aut vuæ acer-

acerbæ,aut denique alius quiuis, ſimilis eum dictis facultatis. At ex ſuccis hiſce, magis ne an minus temperandum ſit, indicabit ęſtus magnitudo,atque etiam corporis habilitas.Sed & præſtiterit, decumbere ægrotum in domo quapiam frigidiori,quæ ſtrata ſit folijs, aut vitis, aut rubi, aut pomi, aliisve horum ſimilibus,quibus citra calefactionem,adſit refrigerandi facultas.Huic porrò affectui per quam ſimiles ſunt, qui à quauis intemperie ortũ habent.Verũ vt ab intẽperatura,tum calidiori & ſicciori, tum frigidiori & ſicciori excitantur dolores, minimè ab humidiori. Cæterum dolores ex intemperie orti curantur modo eodem,quo à cauſa oborti externa, ſuo nimirum contrario.

De capitis dolore ex frigore.

Capitis dolori ex frigore fotus natura calidi remedio ſunt: qui ex mediocri refrigeratione habuerit ortum, ſatis fuerit vti oleo aut anethino,aut rutaceo calido:ſin autẽ intendantur ex vehemẽtiori videlicet frigore, adiiciatur, interim radicis cucumeris agreſtis, interim euphorbij parũ. Vtẽdũ pterea erit oleo irino,vel alio quopiã ſimili, vnũ qppiã ex pdictis iſtis inicijẽdo,pl'minusve pro

ratione vincentis frigoris hæc metiẽdo.

Ad capitis dolorem ex vaporibus.

Quibus caput ex vaporibus dolet, his subducenda aluus est: adducendiq́;, sunt in domũ perspirabilem, aërisque clari ac puri: excitanda sternutamẽta, præsertim si febre vacent, attracto per nares trito struthio aut pipere: vacuatis. n. ratione hac vaporibus, facilè discutietur dolor. Ad fundendũ præter hæc capitis oleũ, cui adiectũ sit aceti nonnihil: sic. n. reprimetur immodica ad caput vaporũ sublatio, quodque nunc cerebri ventriculis insedit, discutietur. Nõ sinatur autẽ talis dormire, imprimis verò interdiu.

De dolore capitis ex vẽtriculi cruditate.

Quibus caput per consensum dolet, ex cibi in ventriculo cruditate, aqua tepida liberalius est in potu exhibenda, dein vt vomant iubendum. in compluribus autẽ qui imbecilli sunt ventriculo, capitis à surrectione dolor excitatur, qui reiecto per vomitum cibo, leuari statim solet. Quod si quando prę nimio capitis dolore, repente aliqui obmutescant, idque causa non satis cognita: horum caput aqua tepida liberalius infusa foueri cõuenit, auribusque oleum infundi: imposita subinde lana.

Ad

Ad capitis dolorem ex Vini potu.

Quod vinum natura calidius capitis dolorem inferat, ipso vaporibus repleto nonnunquã autẽ & succis: atq; etiãq̃ citra vini potũ vapores id genus facile petunt ipsum caput, præsertim ijs, quibus capita sint tẽperaturæ calidioris, omnibus manifestum existimo. Proinde curatiõis scop⁹ in his est, vaporũ vacuatio, qui quòd natura calidi sint, caput ipsum replentes, refrigerantibus egent remedijs: hinc illinẽdum capiti rosaceũ actu admodum frigidum. His etiam somnus instituendus est ac quies, & ab his, sub vespera balneũ, cibus boni succi, cui tamen calefaciendi natura non sit, cuius generis sunt, ptisanæ succus, oua sorbilia non addito garo, panis ex aqua, lactuca, vt quæ refrigeret, & brassicæ thyrsus: vtendum ad hæc aquæ potu. Quibus verò ventriculus ex potu aquæ subuertitur, dabimus aut malum punicum, aut coctum pomum vel pirum, quæ coquenda in olla in qua sit aqua feruida, ibique suspensi sint fructus eiusmodi, & tantisper sub hac ignem succendemus, donec fructus illi vapore ab aqua illa feruente sublato coqui possint. Præterea vuæ passæ corroborãt vẽ-

triculum: at palmulis in totum abſtinẽdum, ꝙ vim habeant peculiarem excitãdi capitis dolorem. Quod ſi poſt hæc, ſic affecti nondum probè dormiant, in craſtinum ducẽdi rurſus in balneum ſunt, aquaq́ue calida frequenter perfundendi, mox aliquantulo tempore interquiescant, & poſtea denuo lauandi ſunt, ac tandem cibandi, quo modo paulo ante dictum eſt. At ſi quandoq́ue poſt omnia hæc, relinquatur adhuc nonnihil vaporis vel ſucci in caput delati, exilioribus meatibus impactum, vnde adhuc veteris doloris aliquid reliquum ſit, roſaceo abſtinentes, adfundemus capiti chamæmelinum moderatè calidũ, deinde irinum, quod maxime cõducit id genus affectibus. Omnibus tamen his vino eſt abſtinendum.

De dolore capitis ex ictu: & caſu ab alto.

Quoniam vero ex ictu & caſu ab alto, oboriuntur capitis dolores, operæpretium duxi vt paucula etiam, pro his afferrem. Itaque vtilis ipſis fuerit fotus per ſpongias, aut moles lanas ex oleo calido, quies præterea, ac cibi ſubtractio inferioris ventris vacuatio. Fugienda autem ſunt, ſol, balneum, vini potus, clamor atque vociferatio, omnes præter

ea

ea cibi acres, acidi, ac salsi. Cęterum illud cuiuis manifestũ existimo, ꝙ pro ratione causarum quæ affectuũ effectrices sunt, plures suboriuntur remediorũ inueniendorum scopi.

Ad capitis dolorem ex cõtusione siue collisione.

Euenit interdum, vt ipsum caput cõtundatur, interim sine vulnere, interim cum vulnere, ita vt ob hoc complicentur curationis scopi. Porrò contusioni propria sunt remedia Græcis παρηγορικὰ, Latinis vero mitigatoria dicta, cuius generis sunt, aquæ calidæ super caput effusio, & fotus lanæ ex oleo. Quod si qua adsit incisio, quæ calidam affundi, ac lanam ex oleo apponi prohibeat, poterit ea conglutinari sideriti herba trita ac alligata, deterso loco spongia vino madefacta. Aliud. Resinam frictam cataplasmatis modo impositam uulneri alligato. Aliud. Aloen tritam ac melli mixtã imponito. Aliud. Terræ intestina trita impone. Aliud. Vlmi virentia folia concisa, deinde contrita, applicato: quin etiam cortex eiusdem arboris pro vinculo vulneri circumuolutus idem præstat.

De capitis dolore ex ebrietate ac solis æstu.

Quum

Quum vero Archigenes ſcripſerit remedia quę etiam appenſa dicta conferunt capitis dolori Græcis περὶ ἄπτα, haud abſurdum cenſui, adſcribere paulo ante dictis & hæc. Ad capitis dolorem, tam ex ebrietate, quàm ſolis æſtu. Polygonij, id eſt, ſanguinalis herbę duos connectens ramulos capiti coronæ in modum imponito. Aliud. Polygonio læuigato ex lactis crema caput ſabbato ſub veſperam inungito, ac ſuperponito leporis pellem, ſicq; in craſtinũ ſinito, tunc enim hanc detrahẽs, comperies reſtitutum ſanitate. Aliud. Cichorion, quod Romani Intybum dicũt, applicato dolenti capiti. Aliud. Sertum roſaceum, ex recentibus roſarum floribus confectum inducito dolenti capiti. Aliud. Cinge caput ſerto ex callitricho, quam alij adianton, alij trichomanes vocant. Aliud. Ait præterea Archigenes ſummopere conferre capitis dolori verbenacam, quam quidam ſacram herbam vocant, tam ſerti modo impoſitam, quàm ex aceto & roſaceo inunctam. Teſtudinis paluſtris, quã Amida quidam appellant, ſanguinem inſtillato capitis ſyncipiti.

Ad capillorum defluuium.

Ladanun, vino odorato adſtringentiq; maceratum cõtere, adfundens myrteum, & vbi ſordium craſsitiem habuerit, illinito. Aliud. Nuces virides quæ iam in ſuo vigore ſint, confractæ numero centum, olei ſextaria duo, aluminis liquidi libræ tres, conijciantur in nouum vas teſtaceum madefactatum aqua, ne iniectum humorem combibat, quod poſtea accuratiſsimè oblitum reponatur in domum liberi patẽtisq; aëris, diebus quadraginta, demum auferatur, atq; in vſum conſeruetur ſic præparatum oleum. Aliud. Ladanun, abſinthium, & iuniperi baccæ leuigata, linteo illigato, in oleumq; iniecta macerantur ac poſt quintum diem vtere. Vel myrti nigræ pars vna, gallæ partes duæ, ex oleo: quin hoc ipſum medetur etiam capitis furfuribus. Aliud. Ladanun detritum ex vino dulci quoad ſordium habeat ſpiſsitudinem, illine. Aliud, Anemones florem læuigatum ex oleo, illine. Idem hoc reddit etiam capillos nigros. Aliud. Verbenacam rectã, vnà cum radicibus deſiccatam, deinde exactè admodũ læuigatã oleo, quãtum opus ſit vt ſordium conſequatur

craſ-

crafsitiē, finitoq; deinde quoad putruerit, ac vtitor.

Ad capitis furfuras quā πιτυρίασιν dicunt Graci.

Præfricatum caput illiniatur betæ ſucco, fœnugræci farina, & nitro, omnibus æqua portione contritis. Aliud. Terra cimolia aceto & fele bubulo ſubacta illinatur. Aliud. amigdalas amaras cum aqua & aceto affrica. Aliud. Nitri ſpumam, atramentum ſutorium equis partibus ex vino leuiga, & vtere. Aliud bulbos aſſatos & nitrum pari portione leuigata affricato.

Ad capitis pediculos,

Herbæ pedicularis partes duæ, ſandarachæ pars vna, nitri pars vna, ex aceto ac oleo capiti illine. Aliud. alumen ſciſſum cum oleo appone.

De manātibus capitis vlceribus, quas ἀχῶρας dicunt Græci, & fauis.

Αχῶρες, id eſt manantia vlcera, cutis capitis vitium ſunt, ab ipſo ſic dictæ ſymptomate quod videlicet cutem tenuiſſimis foraminib' perforent, ex quibus glutinoſa effluit ſanies. Huic vitio affine eſt, quem κηρίον dicunt Græci, nos fauum, in quo foramina ſunt, quam in illis maiora, mel craſsitudine ſimilē continen-

tinen-

tinentia humorem. Eſt autem vtriq; vitio ortus ex humore excrementitio. Porrò incipiunt cum pruritu, demum extuberaſcunt. Curatio eſt ſiquidem graue ac magnum fuerit vitium, corporis totius vacuatio, catapotijs ex ſcammonia, aloë, & colocynthide: hæc enim æquali pondere contrita excipiuntur braſſicæ ſucco, ac conformantur in catapotia erui magnitudine. Dantur ad ſummum catapotia decem & ſeptem numero, cæteris autem pro viribus eorum, qui ſumunt. In affectibus mitioribus, ſatis fuerit topica, id eſt, localia dicta remedia eiuſmodi eſt chimolia ex acerrimo aceto illita. Aliud. Creta ex acerrimo aceto ſimiliter inungitur. Idem poſſunt ſamia terra, & pompholyx. Aliud. Illinitur ſimiliter lithargyrus cum charta vſta ex aceto. At quibus adiuncta eſt vlceratio doloroſa, diebus ſingulis perfundēda aqua calida, in qua decocta ſit aut myrtus, aut rub᷒: aut mor᷒, aut aſparagi radix: demū inūgēdi, aut Salicis folijs ex aqua, aut lēte ex melle, aut de cocta aſparagi radice deline caput, aut betę ſucco cū fœnogræci farina. Cōgrua pręter hęc medicamēta, ſunt tedæ cortex cum cera, vel cadmia ex oleo,

aut

aut lithargyrus, aut cerussa. Proderit etiam abstergere in balneo chimolia ex betę succo. Cæterum illud cõstat, in mollis carnis corporibus, vt mulieribus, cauendum ab aceto esse, vino autẽ illinenda esse medicamenta. De arearũ speciebus alopecia & ophiasi. Duplex accidit capillis in capite affectus, interdũ. n. eorum defectus, interdũ vero in extraneũ colorem mutatio, defectus quidẽ in caluicijs, coloris immutatio in areis alopecia nẽpe & ophiasi, quæ indecora sunt capillorũ vitia. Euenit aũt eiuscemodi noxa capillis perinde atq; stirpibus. nam vt illæ: quandoq; inopia humoris quo alũtur, intereunt: nonnunquã eius humoris quo aluntur, in alienũ qualitatem transmutatione. Porrò tam alopecia quàm ophiasis sunt affectiones præter naturã, quæ tũ eandẽ habent sui ortus causam, tũ curationis rationẽ cõmunẽ, ob solã tantũ figurã ac formã, diuersas sortitæ appellationes, siquidẽ in ophiasi persimilis serpenti species in capite apparet: at alopeciam ferunt dictã, quod ἀλώπηξ, id est, vulpes, vitio eo frequenter laboret, quod est depilatio qua locus affectus apparet colore prorsus exangui. At nos cur hoc aut illo mo-

do appelletur, curiosius non inquirim', pro comperto habentes, idque naturali ratione, horum omnium causam esse, prauorum humorum copiam. Sed iam earum plures sanè sunt ex colore differentiæ. aliæ etenim albidiores, aliæ pallidiores, aliæ nigriores sunt. at satis patet, quod id genus omnia soboles sunt viciosorum humorum. Quæ igitur sunt albiores, à vitiata proueniunt pituita, & curantur medicamentis pituitam educentibus, necnon apophlegmatismis, hoc est, medicamentis, quibus per os pituita purgatur. Pallidiores verò, medicamentis quæ bilem pallidam vacuant: sicuti ijs quæ nigram, vbi color apparuerit nigrior. expedit enim totum prius corpus purgari, quã loco affecto remedia applicentur, ne plus etiam adfluat ad membrum læsum vitiosi succi: atque sic tandem particulam affectam aggredi. Sunt porro ἀποφλεγματικὰ, id est, pituitam per os educentia medicamenta, pyrethrum, & staphis agria, vel alterum per se, vel etiam vtrunque simul cum mastiche masticatum, & sal glebosus cum pulegio, aut sinapi contritum, & cum oxymelite diutius gargarissatum. Cæterum purgantiũ

medicamentorum quoque peculiarem ſibi humorem trahit,educitq́;:aliud quidem pituitam, aliud bilem flauam, aliud nigram. Sed longum nimis eſſet quodq́ue horum ſingulatim recenſere, nec adeo ad rem, quum alterius ſit inſtituti. At in communi quidem, alopeciæ & ophiaſi hæc ferè conueniunt. Initio catapotia ſiue pilulæ ex aloë, quæ conſtant ex medullæ colocynthidos parte vna, aloës ac ſcammoniæ partibus, duabus, ſucci abſinthij parte vna, excipiunt autem omnia hæc ſucco porrorum. Quantitas horum exhibetur pro ſententia ex corporis viribus. Deinde principio, tempore ſeptem forte, interiectis diebus, dandum hiera διὰ κολοκυνθίδος: Eius hæc eſt compoſitio. Medullę colocynthidis mollis vnc. xvj. chamępitis vnc. vj. floris iunci vnc. iij. caſiæ, cinamomi, ſpice nardi, myrrhæ ſingul. vnc. iiij. croci exagia vij. opopanacis vnc. iij. piperis longi & nigri ſingulorum vncias iij. marrubij, ſtœcadis, ſingulorum vnc. vij, gentianæ, agarici, ſingulorum vnc. v. ſagapeni vnciam. j. contunde ac leuiga & melle attico excipe: Da magnitudine nucis poticæ. ex aqua ſi febricitent, ſin min' ex mulſo. Porrò ratio hæc

hæc curandi non raro vel ſola ſatis eſt, inter vitia:inueterata enim difficilioris ſunt curationis, egentque remedijs localib. Quum igitur (vt modo dictum eſt) fuerit iam corpus totum, quàm fieri poteſt, mundum, ſubductis ſuperfluis vitioſis ſuccis purgandi medicamento, tum confidenter admouebis loco affecto topica, id eſt, localia remedia, quæ omnia in genere calida ſunt, & diaphoretica, qua facultate vitioſos ſuccos tũ vacuãt tum diſcutiunt: in quibus eſt thapſiæ ſuccus, cum ceroto inunctus.

Aliud. Euphorbium detritum & ex oleo illitum, ſulphur ignem non expertum, & nitrum alexandrinum ex aceto illine. Aliud. Laurinum illitum, naſturtij ſemen ex oleo. Aliud. Erucæ ſemen tritum, pinguedineque agnina exceptum illinitor.

Aliud. Alcyonium aſperum illud toſtam ac leuigatum, ex aceto aut cedrino liquore inducitur. Aliud. Arundinis radix vſta, aut cortex vſtus ex oleo cedrino, aut pice liquida delinitur.

Aliud. Murium ſtercus leuigatum ex aceto inungitur. Aliud. Integras amygdalas vſtas imbue acri aceto.

Aliud. Erinacei terreſtis pellis vna cũ

ipſius capite toſta, & in puluerem tuſa, ex melle inungitur. Aliud. Cepam vetuſtam affecto loco, ſed præfricato panno lineo donec rubeſcat, frequenter infrica. Aliud. Raphani corticem contritum ex melle illinito. Aliud. Leuigatam ferri ſquamam ex oleo & aceto inducito, infricans donec locus rubeſcat. Aliud. Ordeum toſtum, & muſcerda, id eſt, murium fimum, æquali pondere ex aceto illinuntur. Cæterum quum dictorum medicamentorum ſit hoc quidem vehementer, illud vero minus calidum, ſilentio neutiquam prætereundum, calidiori vtendum, tum in durioribus corporibus, tum vitijs hiſce vetuſtioribus: ſicuti contra minus calido, cum in recentibus id genus vitijs, tum etiam puerorum ac mulierũ, ſimilibusq; alijs tenerioris carnis corporibus. Eſto aũt cõmune præceptũ hoc in omnibus eius generis remedijs. Huic adde præfricãdã partẽ affectã pãno lineo, neq; ruditer adeo, vt excorietur, neq; cõtra leniter adeò, vt nõ mediocriter ſaltẽ rubeſcat, añ ꝑdictorũ remediorũ applicationẽ. Eſt poſtremo cutis ipſa frequẽter radẽda: qui ſi qñ vſu veniat vt dictorũ medicaminũ impoſitiõe vlce-

vlceretur, illinendus aut †porcino adipe, aut rosaceo. *Aliàs anserino.*

De doloribus aurium.

Oboriuntur aurium dolores aut à frigore, à frigidioribus nimirum ventis aut balneis: interim ab aquis medicamentosis, quæ auri inciderint: interim ab inflammatione, quæ solam nonnunquam pelliculam meatus, occupat. interdum internam ac profundam auditorij meatus particulã, vnde partes eius distenduntur. Est quũ spiritus flatulentus auri inclusus, nõ reperiẽs egressum, huiuscemodi excitet dolorem, quin effi ciũt nõ raro idẽ ichores auribus quauis occasione innati. Cæterum dolores ex frigore curantur celerrimè calefaciẽtibus. Cuius generis sunt, instillatũ auribus oleũ, in quo incocta sit cepa. Aliud. Piper curiose admodũ leuigatũ ex oleo. Aliud. Nardinũ calidum auri infusum. Aliud. Oleum quo decocta est ruta.

Ad aurium noxas ex aqua.

Oleum calidum frequentius instillato, quod molli deinde lana detergito, rursusq; aliud infundito. Aliud. Oui albumen, modo eodem quo in oculorum inflãmationibus vti ipso consueuimus, aut lacte muliebri tepido vtitor.

Aliud. Confert adeps tum anſerinus, tum vulpinus, tum gallinaceus.

Ad aurium inflammationes.

Nardus cum medicamine baſilico immiſſa iuuat. Quod ſi intolerabilis ſit dolor, caſtorio ex lacte muliebri, aut albumine oui tepido vtitor. Aliud. opii modicum cum ſapa. non oportet autē meatui, tempore quo dolor moleſtus eſt, negotium faceſſere, qui tantum detergendus eſt, ſpecillo molli lana circumuoluto. Fouenda porrò auris ſpongiis mollibus, ex aqua, in qua decocta ſit althea, quam quidam à magnitudine vocant δενδρομαλάχην, id eſt, arboream maluā, aut furfuribus tenuioribus. Quod ſi flatulentum fuerit quod in aure includitur, & obſtructio verius quàm dolor hanc obſideat, aphronitro ex aceto vtitor, aut ſucco dracontii herbæ, aut cētaurii, aut polii.

De igneo in auribus feruore.

Ardorem igneum in auditorio meatu perceptum, cui non ſit adiunctus pulſatilis dolor, ſolet initio iuuare, acetum cum roſaceo.

De aurium Vlceribus.

Glaucium ex aceto contritum inſtillato. Quod ſi plurima ab his defluat hu-

midi

miditas citra dolorẽ, ſcoria ferri ex aceto accuratè in ſole leuigata vtitor.

De graui auditu, auriumq́ ſonitu ſeu ſibilo.

Ad aurium ſonitum repente obortum, nardinum ex aceto inſtillato. Aliud. Ciminum miſceto oleo, quoad mellis habeat craſsitudinem, ac infundito, in ſibilo autem ex morbo auris ex abſinthij decocto foueatur, deinde acetum ac roſaceum infundantur: aut raphani ſuccus cum roſaceo, aut elleborus cum aceto, aut ſolum acetum acre, inſtillatur tepidum, aut mel, aut acetum mulſum, aut mixtum oleo acetum, quod ὀξέλαιον dicunt Græci. Aliud. Porri ſuccum cum lacte muliebri, aut roſaceo immittito. Aliud. Oleum amygdalarum amararum in cepa decoctum inſtillato tepidum. Aliud. Cepam, allium, & adipem anſerinum æqua portione ſimul terito, deinde colatum adipem infundito. Aliud. Lentis decoctum addito melle immittito. Aliud. Vinum in quo decocta ſit myrtus, in aurem mittito: vel ſuccum ex oliuæ foliis expreſſum, melli incoquito, ac poſtea vtitor. Aliud. Idem poteſt ceparum ſuccus cum melle.

Aliud. Naſturcium tritum roſaceo diſſolue ac vtitor, vel inteſtina terræ ichori incoque & inſtilla.

Ad grauem auditum.

Vtere per initia apophlegmatiſmo, id eſt medicamento pituitá per os educéte, ex pyrethro & maſtiche, ac ſubduc ventrem catapotijs ex colocinthide. Ipſi autem auri extrinſecus admoueto fomentum ex arundinis aut abſinthij decocto: cui deinde inſtillato acetum album, & aquam æquali menſura, in quibus nitrum iniectum ſimul bulierit. Aliud. Vtitor ſimiliter decocto foliorum aut baccarum lauri.

In aurem infundi apta.

Porri ſuccum irino vnguento miſtú infundito. Aliud. Fel, ſeu taurinum, ſeu caprinum roſaceo mixtum inſtillato. Aliud. Corticis raphani ſuccum ex roſaceo immittito.

Ad vermes aurium.

Auribus quibus vermes inſint, infundito ex bubulis carnibus inter aſſandú defluentem liquorem: aut ariſtolóchiã tritã vt emplaſtrum ipſis admoueto. Idé poteſt immiſſus ipſis ſuccus tam nepete quàm rubi. eodem modo & ſuccum abſinthij inſtilla.

De

De parotidibus, id est, inflammationibus iuxta aures.

Quæ morbos sequũtur parotides, ab alijs, alioquin obortis inflammationibus, differunt: proinde dissimilem etiam postulāt curationẽ. Quæ enim à sola destillatione seu defluxu materiæ proueniunt, neque multa existēte, quæ influit materia, neq; maligna, nec toto deniq; corpore plethorico, sola spongia ex posca imposita incipientes reprimunt inflammationes. Contra in parotidibus agimus. Nam remediis vtimur quibus in cutem attrahendi est facultas, aut etiam imposita cucurbitula, è profundo enim in summā cutem noxium succum euocare studemus: nisi fortè vehemens fuerit ac copiosus humoris influxus, sic enim nihil opus iuuemus naturæ conatum: quandoquidem si tum aut cucurbitulam quis admouerit, aut attractatorium medicamentum, quo ex altō in cutem pertrahat materiam, grauem excitabit dolorem, vnde somno priuabitur, febresque superuenient ac vires deijcientur. Proinde mitigare est hic opus, non autem humoris fluxum iuuare, cataplasmata παρηγορικὰ, administrando, id est, mitigatoria, qualia sunt;

Panis oleo maceratus ac impositús. Aliud. Triticea farina ex oleo apposita. Aliud. Hordacea farina cum axungia admota. Aliud. Hyoscyamus herba, cum butyro in modum emplastri applicata. Quod si suppurauerint, cute discissa pus excernendum, deinde vlcus ipsum communi vlcerum ratione curandum, aut tentandum possit ne pus discuti disiiciq;, idq; remediis simul attrahendi ac discutiendi facultatem habentibus, quæ bis sunt diebus singulis renouanda. Fouendus porro locus affectus donec sedetur dolor, quo iam mitigato, locum habebunt, quibus est discutiendi facultas, è quorũ numero sunt, plantago detrita cum sale, & vti emplastrum imposita: rumicis radix in vino decocta, & cymolia ex aceto: caricæ in muria decoctę ac tritę, marrubium cum sale. Applicatur etiam cōmodè sal tritum cum butyro, succidaq; lana exceptum, maximè parotidum initio, multo autem magis in teneræ carnis corporibus. Induratis enim parotidibus, omniq; iam dolore carentibus, stercus caprillum ex aceto vtiliter imponitur. At vbi volumus breui ad suppurationem ducere, fouebimus assidue

ſiduè calida, & farina hordeacea oblinemus.

De narium vitijs, & primo ad ozænam ac polypum.

Communis eſt ratio curandi ozęnas atq; polypum. nam exiccandum initio roborandumq; eſt ipſum caput, impoſito emplaſtro δ'ιτέων, ſic dicto, quod ſalicem contineat: aut anemonitæ, aut barbaro, aut de limacibus, cuius hæc eſt confectio: Myrrhæ triens, thuris vncia, limaciæ integræ, duo ouorum albumina. Omnia hæc contundantur in mortario ac axungia miſceatur: deinde linteo excepta capiti admoueantur, quod continuis fiat diebus nouem: atq; tum demum localibus hiſce vtendum in naribus remediis, nempe ſucco nepetæ, naribus infuſo, ac ipſamet nepeta ſiccata & trita, demum naribus per harundinem inſpirata. Aliud. Ranunculi herbæ ſuccus cum melle ſupinè iacentis naribus iniicitur, vtq́; ipſum ægrotus attrahat præcipitur. Aliud. Mali punici ſuccum æreo vaſe tantiſper decoquito, donec craſſeſcat, demum naribus infundito. Aliud. Gallas ac myrrham æqua portione conterito, naribuſq; inſpirato.

De

De polypo.

Atramenti ſutorij drach. iiij. miſti drach. vna, redacta in puluerem, naribus per calamum inſpirantur. Simili modo inſufflatur puluis toſtæ radicis bryonię.

Aliud. Atramentũ ſutoriũ & ſandaracha ęquo pondere teruntur, naribuſq; inſpirãtur. Aliud. Cornu ceruinũ vſtũ & ſandarachan naribus inflato. Aliud. Plumbum vſtum ex vino inungito. Aliud. Acidi mali punici ſuccũ coquito in vaſe æreo donec mellis habeat conſiſtentiam, deinde illinito. Aliud. Auripigmentum leuigatum ſtylo applicator. Aliud. Auripigmentum & calcem aquà non reſtinctam æqua portione, trita adhibeto.

De profluuio ſanguinis è naribus.

Grumos ſanguinis primum ſpecillo, cui lana ex aqua madens addita ſit abſterge: dehinc lycium aqua diſſolutum illine, penicillũq; ex intorto pãno lineo factum ac in lycium tinctum naribus inſere. Aliud. Linamentum tortile igni accẽſum, ſuccoq; aut polygonij aut porri extinctum, naribus inſerito. Aliud. Acetum acerrimũ coquito, in quo maceratam ſpongiam, naribus immittito, quam vt facilius poſsis, quũ voles extrahere

hęre, præstat lino deligatam vt extra pẽdeat imponi naribus. Frontem pręterea spongiis ex aqua frigida foueto, sitque ægrotus capite eleuato erectoq;, iubeto. Manus & pedes vinculis constringito, necnon aures valide obturato. Aliud. Gypso, aut luto figulino frontem illinito. Aliud. Cucurbitulam magnam applicato: hepati quidem, profluente è dextra nare sanguine: lieni verò è sinistra: sin ex vtraq; nare effluat, vtriq; visceri.

De Vitijs oculorum.

Omnes corporis particulæ in curando exactissimas (si quis verè sit sanitati restituendus) distinctiones expostulant. Oculi vero quo vsum pręstantiorẽ habent; quo etiam non parum alijs præstant, accuratiori adhuc egent consideratione, quũ frequentissimè à malis arripiantur affectibus, qui varijs de causis oboriũtur, atq; irritãtur. Absolutissim⁹ tamẽ de his, atq; exquisitissimus alteri⁹ sanè negotii fuerit. Qui vero ad hũc cõmentariũ pertinet, est vt doceat coniectans quæ possint esse ex vsu, statim quã do contingit casu aliquid se nobis offerri. Oculorum itaq; affectus interdum cũ feruore plurimo, interdũ cũ frigore atq; stupido quodam sensu, nonnunquam

quam cum inflammatione, aliquando abſque ea. quandoque cũ copioſo deflu- xu, quãdoque citra ipſum. interim cum grauitate & dolore. aliàs vero ſine his. Leues ſanè ſed calidas oculorum perturbationes ſatis reprimit fotus oculorum ex ſola poſca, ſicuti frigidas, fomentum per ſpongiam ex vino albo diluto: at validas vehementeſque, vt quas magna grauiſque comitatur inflammatio, ſiquidem ſanguinis in fronte vaſa, præ plenitudine diſtenta fuerint, indeque ſanguinis appareat multitudo, curat facta mox ab initio venæ ſectio, niſi quid prohibeat. At quæ ab aliis cauſis gignuntur, ac ex obſtructione irritantur, ventris per inferna purgatio: mox verò vtendum τοῖς ἐγχυτοῖς, quod in oculos inſtillentur, ſic dictis medicamentis: vt fœnugræci ſucco eum in vſum pulchre præparato: quod optime fiet ſi fœnugræcum diligentius aqua dulci lauetur, ac modice coquatur, vt ſi quid in ſe habet acre deponat, moxque priori abiecta, alia rurſus aqua incoquatur. Sed & oui albus ac tenuis liquor cõtinenter iniectus vtilis erit. Lac etiam muliebre ex ipſis vberibus in oculos mulctum. Sit tamen lac
boni

boni ſucci.' Mitigandus porrò ſedanduſq; oculi dolor, impoſitis emplaſtris ad inflammationes conſcriptis, nec non ex oui tenui luteo, meliloto, pane, & roſaceo. Vtendum etiam erit collyriis ad hunc in vſum idoneis, quæ longa quadam experientia longoq; vſu omnibus ferè ſunt cognita, aliis alio vti conſuetis, ſi tamen eorum adſit copia. Sunt autem ea ex oui candido adhibenda. Innatans præterea oculis lippitudo, leuiter citra compreſsionem moli detergenda eſt ſpongia, ex aqua calida victus ratio ſit tenuiſsima. Quod ſi vehemens fuerit capitis grauitas, coma auferenda erit, ac occipitio cucurbitula affigenda, conciſa prius cute ſcalpello, multuſque inde ſanguis detrahendus. Quod ſi ſublatis ſurſum vaporibus caput impleatur, ac pituita obſtruat ipſius meatus, ſternutatoriis mitioribus, apophlegmatiſmiſque vtentes purgabimus ipſum caput, aſtrictionemque diſſoluemus: ſternutatoriis quidem ex pipere, quod tritũ naribus attrahant, iubebimus: apophlegmatiſmis vero ex ſinapi accuratiſsimè læuigato, additis acete melle, & aqua, vt fluidum factum ore faciliter cõtineatur & gargariſſetur: facta enim hũc in modũ

per

per nares vacuatione liberaliori, infarctus obstructionesq; omnes capitis discutientis. Porro quod non modo curandæ lippitudinis, verumetiam cuiusuis ferè alterius, ægritudinis, primum ac veluti totius curationis caput consistat in exacta victus ratione, neminem fugere existimo. Cæterum lippitudinibus æstiuis medemur aridarum rosarum decocto, quod oculorum palpebris per spógiam asiduè admouetur.

Ad diuturnas lippitudines.

Specilli mucronem allio tantisper insertum, donec huius tingatur succo, illinimus palpebris. Aliud. Triticum ignitis ferreis laminis incoctum ex vino illinimus palpebris. Aliud. Atramento sutorio ex melle leuigato inungimus, & frontem, & palpebras.

Archigenis collectiones medicamentorum compositorum, ad humorum in oculos defluxum.

Defluxionibus humorum in oculos, maximè ab ipso protinus exordio conducunt cibi parsimonia: aquæ potus, ac præ omnibus, à coitu continentia. aluus subducatur, frontis larga primum, irroratio ex aqua, deinde vero adiecto modico aceti mele permixto. Quidam

ex

ex aqua id faciunt, in qua præmaceratū fuerit chalcantum. Hi autem declinent acres odores omnes, puluerem, fumum, ſplendorem tam lampadis quã ſolis. Imponatur fronti per noctem lana, aut munda ex vino, aut ſordida ex aqua frigida, mane vero (vt iam diximus) abluantur. Quod ſi deſtillatio ingraueſcat accedatque dolor, conueniunt venæ ſectio, & omnimoda abſtinentia cibi. Iuuant viridia vitis folia, in fronti aſsiduè adhibita. Similiter ſuccus tum rubi, tū braſsicæ, vel vitis folia cū tenui polenta polline, vel ſampſuchi, vel ſemperuiui, vel portulacæ, vel cotoneorum. Cuiuſque enim horum tenera folia, cum vino & tenui polenta fronti vtiliter applicantur. Ipſis autem oculis lana munda ex oui albumine, nec non coctum oui luteum cū vino & tenui polenta, vt emplaſtrum aut fronti, aut ipſis oculis admouetur. Iuuant præterea tū eryngij radix trita ex aqua, tum cicutæ ſemen, eodem applicatum modo: necnon mollis ac recens caſeus, cum apij folijs. Panis præterea ex vino aut roſaceo mirum in modum confert. In ſumma, quæcunque adſtringendi reprimendique vim habent, vtilia ſunt lippitudinis

initio, vt sunt cicuta, psyllium, apium, solanum, & paludibus innatantes lentes, serpyllum, sampsychon, folia vitis, coriandrum, portulaca, lens aquis innatans. Horum vnumquodq; ex vino tritum in modum emplastri appone, psylliũ vero ac lentes aquis innatantes ex aqua.

Ad calidam destillationem.

Brassica & polenta trita, ex aqua instar cataplasmatis imponuntur. Eodem applicantur modo, contrita folia, tum ocimi, tum sampsychi. Multam destillationem cohibent papauerum genera: herba apollinaris, quam hyoscyamum dicunt, cum tenui polenta ex vino. Prius tamen foueto locum, atque ita cataplasmata applica. Quod palpebræ distendatur, linteum butyro madens oculis imponitur. Porrò graui difficilique oculorum chymosi (dicta est autem chymosis rubra carnosaque corneæ oculi pelliculæ inflammatio) medentur præsentissime, accuratius detritæ muscarũ carnes, cum crudo oui luteo, ad cerati consistentiam, & ex panno lineo impositæ.

Linimentum pro oculis.

Panis purus tostus, additis acacia & satiuæ punicæ flore (cytinon dicunt) ex

ex aqua illinitur.

Ad oculorum dolores.

Rosas aut aridas, aut virides in aqua dulci præmaceratas ac læuigatas addito tosti oui luteo, emplastri modo impone, aut ordeaceam farinam coctam similiter in passo. Quod si grauior molestiorque fuerit dolor, hyoscyami folia, aut carnem seu peponis seu cucurbitæ cum oui tosti luteo & pauco vino, vt cataplasma applicato. Pulchre his medetur tedæ cortex & polēta ex vino.

Ad vehementes oculorum dolores.

Coriādri succum cum lacte muliebri oculorum angulis guttatim instillato: aut platani folia trita cum tenui polenta, in modum emplastri oculis extrinsecus imponito.

Ad destillationē in oculos cataplasmata.

Conducit ad hanc viridis cupressus, vel sabina herba, ex vino, vel folia paliuri, vel portulacæ, detrita cum pinguedine anserina, & croco, vel iris sicca ex melle, vel apijfolia cum polenta. Porrò graui impetuosoque destuxui cōfert viridis pulegij semen: maxime succus cum aceto ad malagmatis crassitiem redactus, capitisque syncipiti admotus, cui superdato lanā, suauiterq; illigato:

aut imponito ipsis oculis in modũ emplastri rosas, melilotum, & amylũ simul cocta, aut amylum ex vino albo.

Anacollemata .i. agglutinentia ad fluxum.

Limacem cum testa tusam, toti frõti à tempore ad tempus illinito.

Ad hæmalopas & hyposphagmata.

Incipientibus oculorum sanguinolẽtis suffusionib. ab ictu percussu ve, cõfert ab ipso confestim initio, instillatus sanguis colũbinus, p̃sertim plumis expressus teneriorib. cõfert & oui albumẽ eodẽ modo immissum, aut lana pura excceptũ & foris admotũ. Statim vero faciũt tosti oui luteũ & ex vino impositũ, & trita rosarum tum folia, tum flores, per se, aut cum vino: necnõ rosarum capita, cũ tenui polenta vt emplastrũ apposita.

Ad oculorũ laxos ex ictu tumores, dictos œdemata.

Plurimum ad hoc facit fomentum ex posca molli spongia frequenter adhibitum, deinde spongia noua ex eadem posca oculo imposita.

Ad oculorũ psorophthalmiã, id est, lippitudinẽ scabiosam à sole & puluere ortã.

Iuuat hãc aqua liberalius infusa, æstate frigida, hyeme calida: necnõ & fotus spon-

ſpongia factus ex lētis decocto. Immittere etiam guttatim ipſis oculorum angulis ſuccum aut rubi aut roſarum, quē que ſingulatim ex aqua: aut applicare roſas tritas ex vino. Porrò illinūtur dormituri oleo: abſtinendum his in totum ab omnibus tam acribus, quàm acidis.

Ad inueteratos palpebrarum affectus, præcipue callum.

Coctā amurcā, & ex oleo tritā inunge.

Ad glabras, piliſq; carentes palpebras ſummopere hoc cōducit, faciēs renaſci pilos.

Muſcerda, id eſt, fimum murium & caprinum æquali menſura torrentur, & ex melle illinuntur. Facit hoc etiam ad vitiligines.

Ad pilos palpebris innatos oculum infeſtantes.

Euulſis radicitus pilis, cimicis ſanguine confricato locum, & nunquam renaſcentur. Idem poteſt illitus muſcæ caninæ ſanguis. Idem præſtat, euulſis prius radicitus pilis, fel aut hyænæ, aut capræ, inunctum confeſtim à pilorum euulſione, vel fel caprinum cum ſucco braſsicæ.

Ad oculorum λευκώματα. i. albugines.

Celeriter his medetur nitrū exactè contritum & ex oleo inunctum. Idem

præstant illitum lacertæ fimum, & nycti coracis ouum, his enim tingũtur oculi.

Ad visus obscuritatem.

Omnem oculorum obscuritatem, incipientemque suffusionem curat fel vulturis, cum marrubij succo, & melle attico: cuius si nulla sit copia, tenero, ac molli vtere: esto autem tũ succi marrubij, tum mellis dupla ad ipsum fel portio. Idem possunt fel taurinũ liquidũ cũ æquali pondere succi fœniculi, & duplo mellis, & fel vrsinũ cũ aqua duplo.

Ad pterygion. i. oculi vnguem.

Populi nigræ liquorem cum dupla mellis portione mixtum illine.

Ad nyctilopa, id est, nocturnam oculorum cæcitatem.

Iecur hircinum assa, interque assandum defluentem tenuem humorem collectum oculis infrica, ipsumque iecur edendum præbe. Iuuat etiam columbæ sanguis instillatus, & fel capræ, aut capræ iecur decoquens, præcipe vt teneant intentos in ollam oculos, suscipiantque vaporem: vel expressum ex recẽti onide succum oculis illine.

Ad oculorum tubercula, crithe dicta.

Cera alba foueto, aut muscę reliquũ corpus præciso abiectoq; capite, tuber-

culo

culo ipsi infricato.

Ad sugillata.

Raphanus, quã radiculã dicũt, trita & imposita, iuuat cõfestim, quã vbi erodere cœperit, aufer. Iuuat similter impositus caseus recens. Porrò cerotũ cũ absinthio, vel raphani succo impositum summopere confert ad recentẽ & liuidã oculorũ sugillationẽ. Item spongia ex muria assidue admota. Præter hæc frequens fotus ex calida. Hæc plurimum iuuãt liuidas sugillationes. Ceterũ quibus sanguinolentæ sunt, aut subflauæ, aut subpallidæ, muria vitanda est, imponendumq; emplastrum ex rubo, aut absinthio, aut hyssopo, aut origano, aut raphani cortice, aut vua passa, absq; acinis. Horũ enim quodq; singulatim imponitur, aut ex melle, aut aceto, aut incocta aqua. Necnon bulbus candidus cũ ouo ac melle, aut cyclaminũ cũ vua passa: at vetustis iam & denigratis sinapi cum duplo adipis ouilli, vel fabacea farina cũ melle mixta, aut mansa, & cũ saliua inuncta: aut cyminũ veteri linteo illigatũ intinge feruenti aquæ oculosque hoc foue: aut hordeaceam farinam cũ cocta aqua mulsa applicato: aut tritum fœniculi semen cum ceroto.

Ad ſugillata cum laxo tumore, qui œdema dicitur.

Spongiam ex aceto impone, & emplaſtro vtere ex farina hordeacea, cocta cũ aqua mulſa, ad iuſtam craſsitudinem: poſt hæc adponito coctam lentem & cum melle tritam.

Ad ſugillata recentia.

Imponitur trita ex aqua cicuta, aut detrita bryoniæ radix ex mulſo.

De Varis.

Naſcitur in faciei cute tumor exiguus duruſque, dictus Græcis ἴονθος, Latinis varus. Differt autem à ficoſis tumoribus in mento prouenientibus nõ ſolum quod ex craſſo humore cõſiſtat, verum etiam quod participet tenui quadam ſanie, ratione cuius facile vlceratur non recte atque ex arte curatus.

Ad Varos in facie.

Acetum acerrimũ cum melle æquali menſura mixtũ varis diligentius illine, digito infricans. facit hoc & ad initia elephantiaſis. Aliud. Ex amigdalis amaris aceto diſſolutis ac curioſius tritis, cõformato paſtillos, atque in vmbra deſiccato. Vbi autem vſus poſtulabit, dilutum ex his aliquẽ aceto varis inducito, & ſimulatq; aruerit nũc ſapone abſtergito.

gito. Facit hoc ad tumidos affectus, faciei pruritus, & principiũ elephantiasis.

Ad ficosas in mento excrescentias.

Salem fossilem ex aceto, aut glutinũ fabrile cum milto .i. rubrica.

Ad menti impetigines.

Acceptum magna copia triticum incudi impone, cui deinde applicato candentem laminã æreã, quique effluit humorẽ etiamnũ calentẽ affectui infrica.

Ad diuturnas impetigines.

Trita capparis folia ex aceto acerrimo cum tantumdem mellis imponito. Aliud. Idẽ potest contritus ex aceto radicis rumicis cortex. Aliud. Chamæleõtis radicem in aceto decoctam ac læuigatam superdato. Aliud. Detritã rumicis radicem & hordeaceam farinam ex acerrimo aceto applicato.

Ad scabras impetigines.

Tritis amygdalis amaris frequenter ipsas inungito.

Ad genarum exanthemata siue papulas.

Ferrum candens paliuri ligno imponito acceptũque qui ex hoc defluit humorem illinito. Aliud. Contritas myrti baccas ex vino inungito.

Ad dentium vitia, & primo dolorem.

Abluito dolentes dẽtes calido gallarũ

ex aceto decocto aut dactylorum pinguium, aut alterci, cum seminis, tum foliorum, aut cedreæ.i. cedrini liquoris, vel propoleos, vel solani, vel capparis, vel alij, vel myrti ramulorum in aceto decoctorum: aut calidæ vini fecis, aut polij corticis, aut etiam ipsiusmet herbæ, aut porri. Horum inquam quodque cum aceto iuuat. Idem præstant platani pilulæ, & rosæ aridæ, decoctæ in vino albo, ad tertias vsque, quo dẽtes frequenter colluantur. Idem efficit tũ eupatorij radix cocta in vino, tũ pulegiũ: aut decoquito ceruinum cornu in oxycrato, sæpeque eo os abluito: aut scillæ interiora in minutas secato particulas, additoque aceti sextario, in vas aliquod conijcito, finitoque hęc in fimo asinino defossa macerari diebus triginta, eluitoque eo dentes. Eiusdem est effectus lac asininũ, quod motos dentes cõfirmat etiam: aut tithymalli radicem in oxymelite ad medias vsque incoquito, aut etiam hyoscyami lauatoque decocto eo dentes. Item lacte mori commixto probè cum vino, deinde tepefacto collue dentes. Aliud. Lauantur item dentes vtiliter cremore allij, seminis erucæ, & nitri.

De fomentis ad dentium dolores.

Extrinſecus ad dentium dolorem conueniunt fomenta ex fricto ſale vel milio in marſupium cõiecto: aut etiam ex ſordidis panniculis admodum calentibus. At intrinſecus huiuſmodi ſunt fomenta vtilia. Aridi origani ramulum in feruens oleum demiſſum, ſuperne affecto denti applicato: vel ricini fruticis coliculum ſimul cum cera imponito dolenti denti: aut tange hunc frequenter ſpecilli mucrone, vehementiſsime calente. Cæterum illius in vniuerſum meminerimus neceſſum, vtendum fomentis id genus omnibus, tam ijs inquam quę extrinſecus, quam quæ intrinſecus adhibẽtur ante cibum aut longo poſt aſſumptũ cibum tempore.

Apophlegmatiſmi pro dentium dolore.

Optimi apophlegmatiſmi vtiliſsimique dentium doloribus ſunt, herba pedicularis maſticata, aut ſingulatim, aut cum pulegio: vel quod in galla nigrum eſt affecto dente commordeto ſinitoq; ac hiãs interim effluere pituitam: aut quinque alij nucleos cum nigræ myrti pauculis folijs in aceto ad dimidias decoquito, palmea rude aſsiduo commiſcens, ac eluito eo dentes, oreque contineto, poſt

hæc

hæc hiato, donec pituitæ ſatis profluat, demum roſaceo os abluito.

In nares inijci idoneum, pro dentium dolore.

Solum radicis betæ ſuccum naribus immittito, & dentium leuabis dolorem.

Ad dentes denigratos.

Exceptum melle foſsilem ſalem, torreto ſuper igne, ex ſarmentis vitis, teritoq́; deinde adiecta paucula myrrha, dẽtibus infricato.

Ad colluendum dentes.

Lauato gingiuas aceto: in quo coctum ſit hyoſcyamum.

Dentes à dolore præſeruantia.

Lauato dentes bis menſibus ſingulis vino in quo ad medias decocta ſit tithymalli radix, & nũquã dolebũt. Subſcripta dẽtifricia maximopere cõducunt ad dẽtiũ à dolore prẹſeruationẽ, & ad cõfirmãdũ tã dẽtes quã gingiuas cõciliãdũq; dentiũ candorẽ. Lanã ſuccidã linteolo illigatã torreto, adiecta deinde tertia ſalis portiõe, terito omnia ſimul, & ꝑfricato hoc puluere dẽtes. Idẽ præſtat puluis vſti cõtritiq́; capitis leporis. Aliud. Contritũ ex melle ſalẽ, ad cerẹ craſsitiẽ, linteoq́; mũdo illigatũ vrito, quo deinde addita iridos portiũcula ꝑfricato dẽtes.

Ad oris grauεolentiam.

Hordeum melle & vino præmaceratũ illigatur chartę, teriturq́;, quo deinde confricantur dentes.

Ad motos dentes, vt confirmentur.

Teritur ex oleo atramentũ sutoriũ, qđ lana exceptũ, dẽtiũ applicatur radicibus: vel vlmi cortex in vino decoquitur, decoctũq́; hoc ore continetur, cõfirmat enim dentes.

Ad dentium erosionem.

Folia capparis in aceto acerrimo ad dimidias coqto, ac tepido eo lauato dẽtes. Idẽ põt coctus similiter capparis cortex hoc idẽ dẽtiũ medet̃ dolori. Aliud exp̃tũ. Nigellã præfrictã, deinde tritã ex acerrimo aceto, dẽtis erosioni vt emplastrũ imponito, sic.n. iñ posterũ plus non erodetur, sed perdurabit vt est erosio.

Ad omnes tam oris quàm columellæ, ac faucium inflammationes, cæterosq́; affectus, seu vlcera ea sint, seu crusta, seu putredo.

Commune in omnibus hisce præceptum, reprimendũ repellendumq́; mox ab initio omnẽ è capite defluxionẽ. Cæterũ ab elapso iã morbi initio, ad ipsi⁹ finẽ vsq; vtẽdũ simul reprimẽtibus simul resoluẽtibus. Reprimẽdi igitur facultatẽ ha-

habet,medicamentum διὰ μόρων,sic dictum quod ex moris conficitur. Eiusdemq; sunt facultatis vuę immaturę succus, cum pauxillo melle & florũ rosarũ aut ipsarummet rosarũ siccarum, sicuti, & tedæ corticis ex aqua decoctũ. At vbi iã morbi principiũ prçterierit,qñ etiãnũ è capite defluit humor,fuerit opus, discutiẽdi habẽtibus facultatẽ:proinde adijciendũ vni prædictorũ aphronitrũ aut ipsum nitrũ beronicariũ dictũ, vel pulegiũ sapa incoctũ, aut satureia, aut thym⁹,aut nepeta.Poterit porrò quisvel cõfertim defluente humore paratã habere tot medicamẽtorũ copiã, seu per agros venẽt,seu op⁹ rusticũ in agro faciat, sin etiã in itinere sit, vbi sit medicamẽtorũ indig⁹,cõfectio ex succo rubi,aut dictorũ aliquod poterit afferre remediũ,sim mo omnia ferè quib⁹ adstringẽdi facultas est, oris affectibus sunt accõmodata: electisimũ tamẽ ad affect⁹, q in ore cõsistũt medicamẽtũ sit exsucco corticũ nucũviridiũ cocto,cũ pauco melle.Vtile similiter ad eosdẽ,decoctũ cotoneorũ,adiecto mellis pauxillo:sed qđ ex viridibus nucib⁹ fit medicamẽtũ, multo est vtilissimũ,ad vehemẽtes tõsillarũ inflãmationes,& suffocationes. Aliud.Dulce ma-

lum

lú punicú cõtusum, cú cortice ac læuiga tú colato, cui⁹ succi sex partib⁹ addito vná mellis, demú coquito ad mellis spissitudiné ac vtitor. Aliud, Musti sextariú decoquito ad tertias, adiectis rhu coriarij vnc. iij, demú reponito in vsum. Aliud. Tusas gallas numero triginta: decoque in mellis sextario quo vtere.

Optimum medicamentum stomaticum.

Florú rosarú ℥. ij. πισσίδων. j. fruct⁹ piceæ arboris vnc. j. tere ex melle, ac vtere.

Ad inflámationes tonsillarum ac columellæ, & oris putredines.

Succi mororú, aut rubi, & rosarú aridarú, singulorú vnc. i. coquútur parú cú melle, illinito. Aliud. Cotoneorú acerború succú cú ęquali mellis portione coctú illine. Aliud. Mala punica astringétia cú cortice túsa exprimito ac ipsorum succi tres vncias, in vnc. ij. succi vuæ immaturæ inijce, ac illinito. Aliud. Mala punica integra in passo decoq;. ac percolato, & vtere. Aliud. Immittito in sapá pulegiú, aut thymú, aut origanú aut hyssopú, aut nepetá, ac simul coquito quod satis sit, deinde colatú hoc teneatur in ore.

Ad oris putredines ac crustas.

Albú canis fimú inúngito ex melle: sit aút eius canis fimú, qué obseru ueris pridie comedisse ossa: aut aq̃ rhu sutorij cú

melle ad sordiũ crassitudinem decoctã: aut etiam vstarum hirundinũ cinerem ex melle illinito.

Ad columellæ inflammationem & resolutionem.

Palmularũ ex aqua decoctũ, adiecto pauxillo melle gargarissatur oreq́; continetur. Ad idem faciunt decoctũ rosarũ, & clauicularũ vitis, rubi, sentis caninæ, pomorũ acerborũ, sorborũ, denique immaturorũ, rhu etiã obsoniorũ, necnõ & coriarij, & fructus myricæ. Horum.n. quodq́; singulatim, aut cuius ex prædictis adiunctũ, & ex aqua decoctũ, garga rissatur: aut ex his siccatũ quodpiã in pul uerẽ cõteritur, q colmuellæ sensim ac leniter apponitur: solet autẽ is cochleario iniectus, columellæ, apponi, quinetiã cu iusuis prædictorũ, tã plantarũ, quã fructuũ succus, cum pauculo melle vuæ illitus, iuuat. Aliud. Ad vuulæ inflãmatiões cõferũt, sales triti & ex melle inuncti. Aliud. Palmularũ ossa ac nuces, teneræ, virides, aridæq́;, pari portiõe vrũtur, inq́; puluerẽ cõminuũt, quo colũella pricat. Aliud. Rosas siccas in tenuissimũ pollinẽ læuigatas ex melle ĩducito.

Ad aphthas quæ oris sunt Vlcera.

Portulacã melle madentẽ masticato

aut

aut foliorum oliuæ ex vino decoctum gargarissato.

Ad aphthas nigras & depascentes.

Detersas prius, orobea farina ac gallarũ ex melle illinito, aut licij cremorem gargarissato, aut fece dulcis vini ex melle ꝑfricato, aut tamaricis fructũ cũ melle tritum infricato.

Ad depascentes aphthas.

Gallarũ cremore cũ mellis æquali mẽsura mixto coctoq́; vtitor.

Ad aphthas albas.

Pinna oleum in quo chalcitin præcoxeris illine, & cõfestim curabitur: aut deterso nũc mũdatoq́; loco affecto, tritũ tamaricis fructũ ex melicrato aut vino pluma similiter inducito, & cito sanabũtur.

Ad aphthas nigras.

Vuã passam sine acinis & anisum tere locoq́; affecto ex melle infrica: aut pruni folia cõcisa, asinino lacte misceto, colluitoq; ex eo os. Idem possunt marrubij succus, & lẽtis ac rubi cremor, necnõ tritum cornu ceruinum locoq́; infricatũ.

Ad aphthas infantium.

Lentẽ cum pauco pane & coctis cotoneis exhibe, & rosarũ florẽ, quin ipsas etiã rosas aridas vtitor autẽ oris collutiõe ex rebus mediocriter adstringentibus.

Cęterũ oleũ aphthis ipsis aduersissimũ est,necnõ omnia vehemẽter acria : illud quidem quod humectat sordidatq́;: hæc vero quod sua mordicatione noceant.

Ad vocalis arteriæ asperitatem.

Dulcis radicis quam glycyrrhizan dicunt,vnc.iij.minutim admodũ cõterantur,deinde addita gũmi dragagãthę,vn. i.excipiãtur omnia passo, conformẽturq́; ad fabæ magnitudinẽ pilulæ, ex quibus cõtineat vnã sub lingua dormitur*.

Ad intercisam vocem.

Ficus & eryngiõ affatim coque,huicq́; decocto adde gũmi pauxillũ, ita vt q̃ mellis,crassior sit ipsorũ consistentia, & sub noctẽ exhibeto. Aliud. Brassicæ succũ cũ melle decoctum lambat. Conducit hoc idẽ ad tussim . Aliud. Lini semen tostũ ac per cribrum excretũ , vuas passas bene pingues sine acinis ; purgatos pineæ nucis nucleos ac frixos,nuces ponticas siue auellanas prępurgatas,omnia hæc in pari portiõe trita excipe melle crudo, datur cochlearij mensura.

Eclegma tussi accommodatum.

Γυρήνων.i.nucleorum saltem pineæ nucis vnci. xij. carnem duorum dactylorum,terito simul exactius,melleq́; crudo excipito.

Ad

Ad tussim siccam.

Iridis ex aqua decoctũ,cui mellis pauxillũ adiectũ sit,da frequenter sorbẽdũ.

Ad sanguinis reiectionem, expuitionemve.

Rosarũ aridarũ vnc.viij.gũmi tragacãthæ hexapia tria terũtur, & in pastillos drachmæ põdere ex aqua cõformãtur, propinãturex aqua. Aliud. In cucumeris domestici ventrem infundito aquæ sextariũ,coquitoque ad tertias:demum expressum ex his cremorẽ in sorbitione dato: Aliud. Minij synopici vnc,ij.terrę samiæ vnc.xij.amyli vnc.iij.coge sanguinalis herbæ succo propinato triũ obolorũ quãtitatẽ. Aliud. Fricti seminis lini vnc. viij.gũmi tragacanthæ vnc.xij.prædicto modocommode excipiuntur.Aliud. Polygonij siue sanguinalis herbę radices aqua incoquito ad tertias,additoq; trito pauculo gummi, offerto in sorbitionẽ.

Ad tabidos & thoracis vitia.

Ireos decoctum cum melle ad potandum dato,aut ad sorbendũ hyssopi decoctũ cũ melle,aut coctũ marrubij herbæ succum cum melle, aut eruum ruffescẽs,frixũ primo,deinde tritũ cũ viginti partibus mellis,da in eclegmate:aut amygdalas amaras læuigatas cũ melle exhibeto. Aliud.Seminis apij ʒ.vj. piperis

nigri vnc.i. mellis lib.i. lęuigata ac sensim incocta dato cochlearij mẽsura. Aliud. Mixtum cum melle, lentoq; igne decoctum butyrum offerto. Aliud. Apij vnc.j. piperis grana quinquaginta trita, cũ mellis lib.i. sensim decoquitur, propi naturq;. Aliud. Scillæ crudæ expressum succũ cũ mellis æqua portione, carbonibus superpositum coquito, ac dato ex hoc mystri quantitatẽ ante cibum & post cibum. Aliud. Abrotonũ, pingues passulas sine acinis, rutę germina in aqua decoqto, percolatoq; decocto huic mel adijce, rursusq; decoque, ac vtere.

De oris ventriculi affectibus.

Inflãmationes tã oris vẽtriculi, quàm iecinoris adstringentiũ medicaminũ indigent admixtione. Etenim si in curãdis his vtatur quis solis relaxãtib⁹, vitę adducet discrimen: quumq; id Empirici omnes ex ipsa experientia docti in artis operibus obseruent, pleriq; tamen qui hac tẽpestate reperiũtur methodici in numeris quidẽ stomachicis in causa fuere cur in animi defectũ inciderint. plurimos etiam affectibus iecinoris detẽtos interficiũt. Solis laxãtibus remedijs vsi, vt iecur illis tãdẽ sit dissolutũ. Quare siue oleum affundat̃ his locis affectis, siue emplastrũ

ad-

adhibeatur, quidpiam adiiciendũ ex his quæ adſtringunt, vt abſinthiũ, vnguentũ nardinum, aloë, melinum oleũ, cotoneorũ decoctũ: nec min⁹ cerato ex aloë, maſtiche, cera, & nardo vtendũ eſt cuius fuerit hæc cõfectio. Accipitur ceræ vnc. j. maſtiches vnc. iiij. aloës vnc. ij. & nardi quãtitas cõueniens. Quod ſi vehemens adeo fuerit hepatis imbecillitas, vt ne alimentum quidẽ cõtineat, adiiciãtur his ſucci vuę immaturę vnc. ij. Porrò ſi ſucci abſinthii fuerit facultas, addatur & huius vnc. j. aut labruſcę flos, aut ſucc⁹ rhu.

De calida ventriculi intemperie.

In calida ventriculi intemperie medicamentũ hoc per os cõmodè exhibetur, quod cõſtat maſtiches vnc. ij. mẽtæ vnc. j. coactis ſucco plãtaginis. huius medicamẽti fabæ exhibeẽ magnitudo ex aqua. Quod ſi cõtra vẽtriculus frigida afficiatur intemperie, dicto medicamini adijcito caſtorei vnc. j. piperis tãtundẽ exhibetoq; ſimiliter. Cognoſcetur aũt calida vẽtriculi intẽperies, partim ex bilioſo vomitu, partim ex ſenſu mordicationis igneę, in ore vẽtriculi ꝑceptę, partim q᷑ hoc ipſũ admotæ manui calidũ appeat.

Ad ventriculum iuſto frigidiorem.

Ad ventriculum refrigeratũ, quique

ob pituitæ in ipso hęrẽtis crassitudinem op' habet, simul calfactiõe, simul humorũ incisiõe, perquã aptũ est medicamen hoc quod cõstat corticis radicis fœniculi vnc.vj. aceti sextarium vnũ, mellis libra vna. Decoquuntur primũ radices cũ aceto, ac coctæ nũc exprimũtur, abiiciunturq;: demũ adfuso melle incoquunt rursus simul oĩa ad mediocrẽ crassitiẽ. Propinant aũt hui' cochlearia tria ex aqua.

Ad eos quibus in ventriculo cibus acescit.

Quibus assumptus cibus in vẽtriculo acescit, medicamẽtũ hoc accõmodatum est, qđ cõstat piperis vnc.j. seminis anethi vnc.j. cymini vnc. iiij. omnibus diligenter tritis, propinatur ex eis cochlearium ex aqua vino mista dormituro.

Ad ventriculi subuersiones.

Ad subuersiones vẽtriculi idoneũ est hoc medicamentũ, quod cõstat ex succi nucleorũ cõtusorũ mali punici acidi, expressi, partibus tribus, succi mẽtę parte vna: decoquũtur hæc in vase fictili, assiduè miscẽdo: cũq; iã crassescunt, sublata reponũtur ad vsum. Dat ex medicamento hoc postulante necessitate, ante cibũ omnem mystrum vnum, aut etiam duo.

Ad dysentericos, & cibũ vomitu reiiciẽtes.

Malorũ cotoneorũ lib.j. decoque in vini

vini myrtei ſextarii.iij.ad tertias vſq;,ex preſſo deinde humori adde mellis lib.di midiã,coquitoq; rurſus aſsiduè miſcendo,tandem reponito in vſum: datur huius ante omnem cibum myſtron.

Ad Ventriculi ſubuerſionem, cœliacos & dyſentericos.

Mala cotonea quatuor numero,integra mala punica decẽ nũero,ſorba octo, in aq̃ ſexta.vj.accurate decoquito,q̃ vbi diſſoluta fuerint,exprimito, demũ abiectis cæteris cremorẽ cũ iterato coque ad tertias vſq;: poſtremo additis generoſi mellis lib.iiij.rurſum coqto ĩpoſitũ carbonib. cõtinuo miſcẽdo ad cõuenientẽ cõſiſtentiá, ſicq; in vſum reponito, vtitorq;vt medicamento præcedenti.

Immodicam ex nimio ardore ſitim extinguentia catapotia.

Seminis cucumeris domeſtici vnc. viij. ſeminis porculacæ vnc. iiij. dragacãthæ vnc.iiij. diſſolue tragacãthã recẽtiũ cru dorũq; ouorũ albumine,ac tritã exactẽ diſſolutãq; adfundito cęteris, cõformatoq; ex oĩb⁹ miſtis catapotia, q ĩ vmbra deſiccenĩ,teneaturq; ex ipſis vnũ ſub lingua,ſolutuſq; ſaliua humor paultim deglutiatur. *Ad Ventriculi ſubuerſionem.*

Aneſi,apij,cuiuſq; vnc.ij.cymini vnc.j.

propinato ex his læuigatis, ieiuno quidem cochlearium ex aqua, sub somnum autem ex vino. Aliud. Bibatur tribus cõtinuis diebus absinthii dilutum.

Ad ventriculi ex refrigeratione singultũ.

Piperis vnc.iij. castorei vnc.i. mediocris cochlearii quantitas ex aqua ieiuno datur. At si ex calidis succis, in ipsa vẽtriculi cõcoctione corruptis singultus ortũ habeat, quod ex vẽtriculi ardore, mordicationeq; cognosces, aqua tepida epota, iube affatim vomãt, & cessabit cõtestim singult'. Porrò sternutamẽtũ in tẽpore factum, sedat singultum, sicuti etiã acetum in sorbitione acceptum.

Ad æstuantem ventriculum.

Quibus vẽtriculus præ nimio ardore resoluĩt, aut animi sequitur defectus, si quidẽ sine febre hoc eueniat dato in potu frigidæ cyathos tres, aut quatuor, idq; per tẽporis interualla. Quod si his malũ mitescat, cibo est reficiẽd' ęger: sin verò perduret, aut etiã increscat, cũ strictis ac calefactis extremitatibus ꝓbeto sorbendum assiduè dilutum cotoneorum, pirorumve, aut mespilorũ, aut baccarum iuniperi, aut pãpinorum vitis, vel succum mali punici, aut vuæ acerbę. Vel dato, ꝗ̃ bibat, tritũ mẽtę ramulũ, aut

labruſcæ florem, & ſinito quieſcat.

Ad nimiam ex ventriculo ſaliuam.

Nimia diffluētes ſaliua maſticent ſiccā conyzam. Porrò extrinſecus imponātur ventriculo ſi inflāmatiōe nō teneat. cōtrita vitis viridia folia, aut cotonea, aut viridis portulaca, aut etiā cucurbitę ramentū.

Ad dolorem ventriculi.

Ventriculi ex inquietudine indigentiave dolores, ſedat ac mitigat quibus adſit triſtitia ac angor potū lac vaccinū aut aſininum, cui incoctæ ſint limaces & roſarum decoctum. Quinetiam coctū oui luteum cum polenta potum.

Ad vomitum bilis nigræ.

Ad nigræ bilis vomitū vētriculiq́; inflationē, & potiſsimū in ipſo vomēdi impetu, imponit vtiliter vētriculo ſpōgia ex aceto quā acerrimo. Aut hederę folia vino decocta, ipſi applicātur. Porro cibus ſit boni ſucci, cuius generis sūt, oua, alica, & varia iuſcula, vtpote gallinarū, extremarū porci ꝑtiū, phaſiani, iuuenis perdicis, aliorūq; omniū his ſimilium.

Ad ventriculi inflationem.

Ad inflatum diſtentumq́; ventriculum, iuuat pollii faſciculus foris impoſitus, necnon potum eiuſdem decoctū. Idem præſtant nepetæ decoctum addi-

to mellis momento, & piper drachmæ pondere. Medicamentum ſtomachicis dolorem ſedens Cuminũ frixũ, & apiũ modicũ ex aqua bibitum, vel abrotonũ & thymum vtriuſq; obolos.ij. ad bibendos dato.

Ad eos qui grandem famem βȣλιμίαν facilè incurrunt.

Βȣλιμίαν dictam famẽ incurrentes in itinere, ſeu quouis alio modo, ſeu loco alio: refocillamus, reficimusve, porrigentes olfactandũ acetũ, aut pulegium, aut terram aceto madentẽ, aut poma, aut pira, aut his ſimiles fructus alios, quorum pro tempore fuerit facultas: aut etiã panem ex vino afferre cogemus.

Ad ſingultientes.

Singultientibus da rutam, cũ vino in ſorbendã: aut nitrum ex melicrato, vel apiũ, vel caſtoreũ, vel abrotonũ, vel ariſtolochian, vel cyminũ, vel aniſum, vel calaminthã, quam nos nepetã dicimus.

Ad hepatis obſtructionem.

Amygdalarum amararum vnciæ tres, cymini, ſeminis apii, cuiuſq; vnc.j. datur cochlearium ex vino. Aliud. Baccarum iuniperi vnc.iii. ſeminis braſsicæ vnc.j. ſeminis erucæ vnc.ij. excipiũtur melle crudo, daturq; cochlearium vnum. Aliud.

Succi

Succi cichorii cyathum cum aquæ calidæ cyathis duobus, & mellis cochleariis duobus exhibeto. Aliud. Succi anethi cyathus cũ tribus cyathis aquæ mulsæ calidæ. Porrò dictorum omniũ quodq; seorsum, aridum tusum, aut cibo inspargitur, aut coctum bibitur. Aliud. Chamæpityos decoctum cum pauxillo melle bibitur. Aliud. Chamæpityos decocti vncias octo tusæ radicis cichorii vncias quatuor, excipe melle cocto: datur huius auellanæ magnitudo ex aqua calida.

Pastilus hepaticus. j. ad iecur inscriptus.

Anisi, seminis apii, asari, amygdalarũ amararum præmũdatarũ, absinthii, cuiusq; vnc.i. conformantur ex aqua in pastillos drach. vnius pondere, exhibeto febrientibus ex hydromelite, non febrientibus ex vino mixto. Aliud. Erigerõtis eundem in vsum bibitur decoctum. Aliud. Aristolochiæ drach. dimidia trita offertur, febrientibus ex aqua, sicuti ex vino non febrientibus. Aliud. Trifolii herbæ ad tertias decoctum dato potu.

Ad affectos morbo regio.

Morbo regio affectum lauato in balneo aquæ potabilis, totúq; corpus oleo

confricato anethino. Quod si febre vacet,in colocynthidos corio feruefactum vinum propinato. Aliud. Struthii triti cochlearium ex aqua dato,aut ex mulso liberis à febre. Aliud. Cichorii cyathos tres propinato febrientibus quidem,nullo admisto alio,non febrientibus vero,ex mulso misto. Aliud. Ciceris dicti κριὸς, id est, arietini & fœniculi coctorum cremorem exhibeto,febre carentibus cum vino misto. Aliud. Tenerrima folia tam nasturtii, quàm rorismarini terito, expressoq; ex his succo, vtitor,ex mulso, si febre careat. Aliud. Elaterium cum lacte muliebri tritum exprimito,& iubeto expressum succum attrahi naribus. Aliud. Cyclamini succo aqua mixto, vt modo dictum, vtitor. Aliud. Editur eundem in vsum sentis caninæ rubens fructus. Aliud. Chelidonii herbæ succum cũ vino & aqua mulsa porrigito non febricantibus. Aliud. Hiperici drac.i.propinato ex aqua mulsa.Porro ieiunis dato in cibum amygdalas amaras.

Ad lienosos.

Datur his in potu decoctum chamædryos,vel chamæpityos,vel polii, vel rubiæ:idq; aut per se, aut cum oxymelite

non

non febricantibus. Aliud. Candidæ hederæ corymbi grana numero tria, dantur deuoranda, & superbibenda aqua mulsa. Aliud. Radicis capparis ex oxymelite decoctum non febricantibus datur. Aliud. Tamaricis fructũ tritũ & per incerniculũ excretũ duorum cochlearium quantitate, dato ex oxymelite. Aliud. Ferrum ignitum aqua restinguito, quãda in potu cũ vino, si nulla adsit febris.

Epithema splenicum; id est, lieni aptũ.

Fœnogræci vnc. iiii. ordeaceæ farinę vnc. tres, seminis nasturtii vnc. iii. caricas acerrimo primũ aceto maceratas cõtundito fortiter in pila: deinde adiiciens cætera, vnito omnia simul ac vtitor. Aliud. Moly herbã etiãnũ virentẽ cũ suo semine in ollã cõiicito, in qua diligenter obturata coquito plurimum lẽto igni, coctamq; nunc & in tritam pyla imponito lieni ante tres dies non soluturus.

Ad hydropicos, id est, aqua inter cutem affectos.

Fœnugræci. vnc. i. ordeaceæ farinæ vnc. iii. stercoris columbini vnc. iiii. frixe resinæ, picis, cuiusq; lib. i. axungiæ veteris lib. ii. ceræ lib. i. liquato quæ liquari ex his possunt, demum addito cętera ex aceto trita, ac vtitor. Aliud. Fimi capril-

li sicci

li ſicci libras duas coctas in oxycrato vt malagma immponito.

Ad colicos.

Anetum & cyminum in tribus olei vnciis coquito, & ſimul exhibeto. Aliud. Rutam coctam ſimiliter in dicta olei mẽſura, adiecto reſinæ terebinthinę cochleario, præbeto.

Ad eos qui refrigerati ſunt.

Anethino vtere, cui additum ſit triti caſtorei cochlearium.

Ad inflammationes.

Anethino vtitor, cui admiſta ſint caſei nõ ſaliti duo cochlearia. Aliud. Addit ſimiliter vel pinguedo anſerina, vel cerui medulla.

Ad dyſentericos.

In dyſentericorũ curatione, illud prę meminiſſe fuerit per quã oportunũ, videlicet optimũ dyſenteriæ remediũ cibi eſſe paucitatem. Neceſſum ad hæc ſunt ea, quę dyſentericis in cibo dãtur, quàm licet leuia, ab omni aliena grauitate, & cõcoctu facilia. Porrò decoctũ malorũ punicorũ integrorum, nec minus cotoneorum commodè his tũ ad ſorbendũ propinatur, tum per clyſterem iniicitur. Aliud. Plantaginẽ herbã cũ oryza exacte decoctã da in cibo: quin huius ipſius ſuccũ adiecta pinguedine caprilla, cõmodè ſub

dè ſubminiſtrabis. Aliud. Myrti baccas vino incoquito,ſiquidē febre careāt: ſin aliter,aq̄,ac ĩmittito. Aliud. Cochleariū integrarum vſtarum vncia vna, cornu cerui vſti vnc.ij. vniantur ſucco plantaginis,exhibeatur ex hoc fabæ magnitudine,febre carētibus cum vino, cum aqua vero febricantibus.

Ad cœliacos & dyſentericos.

Baccarum myrti ſiccarum contuſarumq;, roſarum aridarum cuiuſq; vnc. j.baccarum iuniperi decem numero, pirorum aridorum tuſorumq́; tria & viginti numero,ceratiorum, quas dulces ſiliquas dicunt, contuſorum vnc.i.corticis piceæ drach.iiii.propinato excreti ex his puluiſculi cochlearium ex vino.Porrò ſolidius illud craſsiorumq́ue partium pinguibus palmulis coactum ventri imponito. Aliud. Potum leporis,tum hinnuli, tum etiam capreæ coagulum ex vino,necnon immiſſum cum oryzæ cremore iuuat.

Ad diuturnam dyſenteriam.

Chartæ vſtæ, calcis, cuiuſq; vnc.i. vuæ immaturæ ſucco excipiens in paſtillos conformato,ponderis diuerſi,nempe modo vnius,modo duarū etiā trium vnciarū,vt cuiq; ætati apta ſit ad manū

quantitas. Porro vbi vſus poſtulabit, vnum ex his vino auſtero diſſolutum adiecto oryzæ cremore, per clyſterem iniice. Aliud. Cocti anſerini oui putamen minutiſsimè tritum dimidiæ drac. quantitate ex vino propinato.

De applicandi ſedi remedijs.

Sedi diuerſa accidunt uitia, vt ſunt rimæ, condylomata, aliæq; inflammationes. Apta autem his ſunt tenera, mollia, omniq; vacantia mordicatione, inuncta remedia.

Ad ſedis ex ardore dolores.

Oui luteum ex vino albo tritum & roſaceo ceroto exceptum illine, emplaſtriq; modo vtere. Conueniunt autem his ἁπαλὰ, id eſt, mollia, teneraq; dicta pharmaca, & ἀδηκτα, id eſt mordicatione carentia, illita. Aliud. Recentem anſeris adipem inungito, aut malagmatis in modum imponito. Vtile his etiam cataplaſma ex pane mundo diſſoluto coctoq; in aqua, & roſaceo quod fuerit efficacius, additis ouorum luteis aliquot coctis. Aliud. Fœnogræcum coctũ tritumq; adiecto butyro vt emplaſtrũ applicato. Aliud. Anſerinum adipẽ inungito. Aliud. Roſarum vnc.iii. coctorum ouorum lutea duo, trita ex vino albo,

Ad ani pruritus.

Terram vocatam cymoliam tritam cum vino, ceratoq́ue myrteo exceptam appone.

Ad procidentem anum.

Recrementi plumbi vncia vna rosarũ siccarũ vnciæ iiij. accurate admodum trita, sicca insperguntur ano eloto prius vino myrteo. Aliud. Cyclamini succum & mel æqua portione decoque in vase æreo, donec ceroti habeat crassitudinem & inunge.

Potio ad renum & vesicæ affectus inflammationis participes, & exulcerationes.

Seminis lini vnciæ duæ, amyli vncia vna, propinato ex aqua cochlearium.

Ad vesicæ vlcerationẽ & vrinæ difficultatẽ.

Pinei nuclei, & amygdala, singulorum numero viginti, palmulæ quindecim, tragacanthe vnciæ quatuor: datur ex his cum aqua.

Ad renum obstructionem.

Apij decoctũ tribue in potu, febre carẽtibus ex cõdito, febriẽtibus ex aqua. Aliud. Decoctum cicerũ, quæ à similitudine κριοί, id est, arietina appellantur, cum condito, datur in potu.

Ad calculosos.

Lini ſemen exactè tritum, datúr bibẽdum cum condito. Aliud. Seminis cucumeris domeſtici frixi vnciæ ſex, ſeminis maluæ vnciæ quinque, nucleorũ pineorum frixorũ vnciæ ſex, ſeminis apij vnciæ octo, amygdalarum amararũ mundatarum vnciæ nouem, paſſo excipiuntur, cochlearij datur menſura.

Ad coxendicum, pedum, & articulorum dolorem.

Eiuſdem inter ſe ſunt generis omnes huiuſcemodi morbi, proinde eandẽ ferè poſtulant curationẽ, differentes ſolũ efficiẽtibus ipſos ſuccis: quorũ hi quidẽ ſunt calidi, illi vero frigidi. Dignoſcũtur autẽ, quod calidũ ſuccũ cõmitẽtur rubedo, calor, vehemẽtes dolores. Cõtra frigidũ tumor albus, laxus, ac mollis. Porro vtriuſq; curatio eſt, vt calido frigida, frigido vero calida diſcutientiaq; applicẽtur. Et ſiquidẽ magna fuerit efficientis morbũ ſucci abundantia, hic vacuãte medicamento primo eſt educendus. Quod ſi corporis adſit plethora, principio ſecanda eſt vena: deinde repellendus cohibendusq; influxus oxycrato, aut hoc etiam frigidioribus medicamentis aliis. At omnib' de his ſcriptũ nobis abũde eſt, quũ alijs in libris plurimis, tũ maxime duobus

bus illis, de arte curatiua ad Glauconẽ. Proinde verbosius de his disserendũ nõ est, hoc præsertim cõmentariolo, qui de rebus acquisitu facilibus tantũmodo instituitur nobis. Cęterũ cauẽdũ est, ne in coxendicũ doloribus id moliamur: quũ. n. in alto corpore sit iũcturę huius situs. succus à circũstãtibus vasis musculisq; ad ipsam iuncturã propelletur, grauius etiam discruciaturus: quapropter mitigantibus tantum lenientibusq; est remedijs vtendum. Nam neq; vehemẽter calidis, neq; frigidis medicamẽtis in coxendicũ dolore agendum est, quũ magis ab his irritetur fluxio, potius enim attrahit calor multus, atque digeri prohibet: contra vero frigus coagulationi simile quid efficit, fluxionesq; discutiẽtibus cõtumaces reddit. Coxendicũ autẽ dolore affectos vomitus quã alui deiectio iuuat magis, quod humorũ ad inferiora deflu xũ retrahat. Prouocãdus autẽ initio vomit' est, ab accepto cibo. Postea vero ad ciendũ hũc, licet etiã vti bulbis vomitoriis, & raphano: exhibẽtur autẽ in aqua cocti bulbi, ex oxymelite: radicula vero cõcisa in tenues particulas, editur similiter ex oxymelite. Deinde vbi nũc à sumptis his longũ satis tẽpus præterierit, ad vo-

mitum ducendi sunt subinde vero temporis longo spatio interposito lauandi. postea iterum tantisper est ipsis quiescẽdum, donec omnis oborta ex eo corporis turbatio, conquieuerit, demum tenui sunt victu reficiendi.

Ad podagræ paroxysmum, id est acerbationem.

Brassicæ folijs decoctis ac tritis, addito aceti fecem, lutea duorum ouorũ crudorum, ac rosacei parum, que accuratius deinde mixta in modum cataplasmatis tepida imponito, frequenter renouans. Aliud. Cataplasmati vulgari & vsitato ex caricis, adiecta hyoscyami folia incoquito, ac vtitor.

Ad feruidas inflammationes.

Lentem palustrẽ ex aceto & rosaceo imponito. Aliud. Vlmi folijs expressum succum & cerato incoctum illine.

Ad excedẽtes, & veluti immẽsos ardores.

Lactucæ folia exactè cum pane trita, applica, frequenter remutans. Aliud. Coriandrum viride tritum cum polenta vt emplastrum admoueto.

Ad laxas inflationes.

Salem ex oleo diligenter tritum succidaq; lana exceptũ vt emplastrũ impone. LICET cõmentarij huius initiò

de

de cholera dicto vitio, & mortiferis pharmacis, deq; serpētibus qui ictu morsúve venenū relinquūt, & sanguinis etiā fluxu sit nōnihil dictū nobis, nō fuerit tamē à ratione alienū paucis adhuc de ijs agere; licet alio etiā loco sint nobis similia prodita.

Ad sanguinis è naribus fluxum.

Triticeam farinam porri succo maceratā tortili linamēto affrica, perfluenti que nari inserito. Aliud. Tortile linamentū accēsum aceto quā acerrimo restingue, & manāti nari insere. Aliud. Onidis succum mixtū, cū æquali aceti portione, & tanta farinæ triticeæ vt sordiú habeāt cōsistētia, linamento affricato, quod affectæ nari imponito. Iuuant ad hæc tā pedibus q̄ manib⁹ iniecta vincula, necnō frigida fouere caput. Magnas præterea cucurbitulas præcordijs affigere, dextris quidē, profluēte dextra nare sanguine, sicuti sinistris siue lieni, affecta nare sinistra. Cæterum de sanguinis per os reiectiōe dictū nobis antea est.

De fluxu sanguinis è vulnere.

Sāguinis è vulnere effluxū curāt myrrha & thus, trita, & ex oui albumine pro vulneris rōne imposita. Aliud. Vstæ ranæ cinerē vulneri inspargito. Superpo-

nenda porrò his ſpongia ex oxycrato, & frequẽter ſiccitatis ratione mutanda. Aliud. Recẽs ac calidũ adhuc fimũ aſininũ cataplaſmatis modo ſuperdato: quod ſi aridum fuerit, diſſolue pauxillo aceto. *Ad cholerã dictũ affectũ.*

Si ſine febre, aliaq; euacuatione eueniat, da bucellã panis ex vino miſto, daq; potu frigidã, & cucurbitulas magnas medio affige vẽtri. Quod ſi is qui affligitur bono ſit habitu, in frigidũ inducito lauacrũ, quod plurimũ corporis ipſius cõplectatur. Porrò cibus cõuenit adſtringentis facultatis, vt ſunt ex autũnalibus fructibus poma tã cotonea quã punica acida. *De pharmacis mortiferis.*

De letalibus medicamentis, neq; indiſtinctius hic agere tutũ ſatis eſt, neq; parui laboris de omnibus ſingulatim, deq; ſequentiũ ad hæc ſymptomatũ ſiue accidentiũ curatione: ne interim referã adiunctã huic rei male faciẽdi occaſionẽ, præſertim iis, quibus male facere volupe eſt. Proinde ea hic tantũ tradã, quæ in cõmuni ferè credũtur cõferre ijs, quos letalia eiuſmodi medicamẽta deuoraſſe cõtigerit. Principio igitur iubendum, vt hi tales cõfeſtim vomãt, epoto pri' hydrelæo, id eſt, mixtis aqua & oleo, & plu

rimo & frequenter. Deinde varijs diuersisq; sunt cibandi ferculis ad saturitatẽ, à quibus non ita multo post rursus vomãt iubeto. Sic.n. aut simul reiicietur mortiferum medicamentum, aut saltem infringetur ipsius virtus. Quod si post hęc venter videatur à vomitu veluti aduri, hydrorhodynõ, id est, aquã ex rosaceo potu offerto, dehinc vomant rursus iubeto. Quod si vsus postulare videbitur, dabis theriacẽ ex vino, aut iuniperi baccas numero nouem, & rutæ trita viginti folia, aut herbæ chamæpityos. A somno in totum abstineat præcipito, extremarũque partiũ vtitor frictione. Quod si malum videbitur tibi altius in ventrẽ nunc descendisse, quod ex mordicatione irritationeque inferioris ventris cognosces, instandum acrioribus clysteribus, cuius generis sunt qui ex melle copiosiori & nitri spuma constant, aut alio quouis cui irritandi ventris sit facultas. At stragulationi à deuoratis fungis medetur nardus, ex oxymelite pota. Idem potest gallinarum domesticarum fimum, ex oxymelite. Cæterum suffocationi ex concreto in venrriculo lacte, auxiliatur potum cum vino coagulum.

GALENI LIBER DE THERIACA AD PISONEM, IOANNE GVINTERIO Andernaco interprete.

*

LIBRVM hunc quoque de Theriaca in tuam, optime Piso, gratiam magno cum studio, omnibus videlicet accurate perpensis examinatisque composui: idque hoc potissimum nomine, quod te ad cognitionem eius indispiscendam, haud frigide affectum cognouerim. Nam ædes tuas aliquando pro more meo ingressus, complures sane, & diuersos à consuetis libros tibi propositos offendi. Quippe soles alioqui, postquam ciuilium actuum expedieris negocia, veterum philosophorum scripta reuoluere, hisque animũ applicare. Porrò commentarium quendam de Antidoto hac conscriptum, tunc non sine voluptate legebas: & me tibi astantem, illico amicis intuitus oculis, comiter etiam alloquebaris: ac deinde iterum me audiente librũ rele-

relegebas. Auſcultabam vero & ipſe, quoniam conmentarius non indiligenter, ſed cura erat compoſitus abs quodam Andromacho nomine, qui artem non modo rerum experientia probè caluerit, ſed etiam ſermonis elegantia rationem in ipſis curioſe exercuerit. Itaque præcellere ipſum noſtratibus, quòd in his rebus plurimum valeret, illius ætatis reges, meo quidem iudicio, perſuaſum habebant, forſan patria quoque nonnihil ad medicinam exquiſitè diſcendam viro opitulante. Cretenſis ſiquidem erat natione: ac veriſimile eſt illiuſmodi virum vt pleraſque alias herbas, ita etiam vnum quoddàm medicamentum ſalutare hominibus ex regione ipſius importaſſe. Porrò quum tu illius ſcripta perlegeres, dici vix queat, quantum gauiſus, vereq́ue ſim admiratus, quòd diligenter adeo mentem ijs quæ ab illo dicebantur attenderes. Qua de cauſa etiam multum fortunæ noſtri tēporis hominum gratulabar, qui te tanto artis ſtudio teneri conſpicerem. Siquidem bona aliorum hominum portio, ſolas aures medicinæ verborum lenocinio cupit demulceri: vt vero non ſolum ea quæ dicuntur libenter audis,

verum etiam quæ, nõ exprimuntur, propria insitaq; prudẽtia ingeniose inuenis. nonnulla opera quoque tam accuratè pernouisti, & perspicis, vt nos qui diligenter ac studiosa didicerimus. Quod nimirum ego in te contemplatus non potui non obstupere. Cõtemplatus autem sum, quum filius tuus aliorum charissimus ex quadam equitandi necessitate abdominis affectu laboraret: vt qui sacris administrandis publicè esset præfectus, ceremoniarum gratia, quæ diuis Romanorum necessario fiebant, quam ob rem vel generosissimos quosque pueros concinne equitantes, saltantesque tanquam equis sacra quædam & ipsos obire oportebat. Quum igitur filij tui natura admodum teneri, locus hic vndequaque contusus violenter, à subiectis partibus abscederet, ac deinde pure collecto, incisione etiam opus haberet: puer sanè tanquam vir iam tum esset, patienter omnia sustinens, dextrè curabatur, ceu ex quodam philosophiæ studio, fortitudine ac magnanimitate ad præsens malum probè instructus exercitatusque. At tu in curationẽ diligenter incũbens, animum omnibus, quæ à nobis fiebant accommodabas, vt si quãdo non-

nonnihil etiam neglectim, ac oſcitanter fieret, ſtatim accuratius exequereris, admoneresque ſecundum Hippocratem, ne temere quid committeremus. Sed hoc etiam laudabilius aliquid abs te fieri magis animaduerti: nempe ſi quando medicamentum quoddam à medico impoſitum, ſuo in loco minus recte hærebat, id tuiſmet digitis tranſpoſitum, aptè vulneri applicabas, vt miraculum eſſe videretur, te tam repente ex tuo erga filium amore, & naturali dexteritate, artis abſolutionem manibus oſtendiſſe. Atque ipſum tibi vſu venire comperio, quod & Plato ſapientiſsimus commemorat, in multis, vt eſt conſentaneum, frequenter ſpeculatus, & veri gaudens neceſsitate. Hæc autem ipſius eſt ſententia: Diſciplinę rerum ſunt recordationes, animusque videtur omnium habere notitiā, quæ tūc nimirum apparet, quum vſus poſtulat. Ita in te quoque filij ſolicitudine, præſens artis experientia præter noſtram opinionem apparebat. Nec id ſanè immerito, quum ſis adeo ad optimū quodque percipiendum ingenioſus. Neque in hoc medicamento Theriaca eras negligentior: verū & facultatem ipſius & miſturam

ſturã ſcire ſtuduiſti:ad hæc,tempus,mẽſuráq; vſus ad amuſsim ꝑdiſcere,ſiquidẽ hoc eſt proculdubio apud vniuerſos homines celebratiſsimum, tum quod pollicito neminẽ fruſtretur,tũ ob ipſi' actio nis efficaciã. Siquidem nullũ à feris,quæ hominẽ ſolẽt interimere cõmorſum,hac ſtatim epota antidoto,periſſe memorię eſt proditũ. Nullus eadem præſumpta haud multo poſt morſu impetitus, beluæ veneno ceu illam ſuperante interijt. quod ſubinde nonnulli prætores etiam, penes quos vitæ & necis poteſtas eſt,experiuntur. Atque medicamentum probare volentes, an quod promittat, præſtare quoque poſsit, in hominibus iã ob praua quędam & illegitima facinora ad mortem iudicatis,de ipſo faciunt experimentum: nos autem quum in hominibus id non poſſumus, in alijs quibuſdam animãtibus idem facientes, veram medicamenti probationem inuenire co nabimur. Nanque gallis,qui domi non enutriti, neque nobis ſunt contubernales, ſed potius agreſtibus, & ſicciore præditis temperamẽto, captis, feras obijcimus, & qui inter illos non biberint ex medicamento, protinus intereunt: qui verò biberint, conualeſcunt, & à

mor

morſu vitam retinent. Interdum vero medicamentum num adulteratum ſit, hoc quoque modo probare conuenit. Si epota Theriaca non purgetur, qui purgans, ſumpſit medicamentum, hoc ipſo iudicamus antidotum eſſe præſtantiſsimam, quoniam purgationem, ei qui medicamento vſus ſit purgante, impedierit, vt tali experimento à veri medicaminis inuentione nunquam aberrauerimus. Multæ ſiquidem à ſubdolis improbisque in hoc quoque fraudes fiunt ac vulgus ſola antidoti opinione deceptum, ab ijs quibus ars eſt mercenaria, plurima pecunia medicamen vel praue confectum redimit. Non deſunt enim ex ſanis pariter, qui tota omnique ipſorum vita aſsidue medicamentum vſurpent, præſertim qui ob inhumanos, illiberalesque mores non citra ſolicitudinem degunt: ſed perpetuo ſuſpicionem habent, facile ab inimicis ſibi ſtrui inſidias. Nonnulli vero corporis iuuandi gratia quotidie medicamentum aſſumunt, quem ad modum ſanè diuum Marcum nos quoque nouimus, qui legitime aliquando imperium geſsit, & adamuſsim, vt erat vir prudens, corporis ſui tempera-

raturam intellexit, affatim, & velut alimento quodam, medicamine esse vsum. Ab illo nanque viro potius medicamentum, bonæ existimationis cepit initium, & virtus ipsius actionis hominibus innotuit. Quippe imperatori secundam valetudinem emollita antidotus, auxilij fidem potissimum comparauit. Verum illius principis tempore, ad eorum duntaxat cognitionem, qui viderant, Theriacæ opus perueniebat. Sub huius autem seculi maximis imperatoribus vsus eius prodijt in publicum. Omnibus enim licet nobis ipsorum bonis probe vti, & liberaliter curare, alio ab alio medicamentum capiente. Quoniam non solum hoc nomine cæteris omnibus præcellunt, quòd imperium à dijs sint adepti, sed etiam quòd vniuersa, bona, vniuersis libenter impartiant, sicut, & dij ipsi tantum ex æquo gaudij concipiunt, quantus eorum numerus extiterit, qui ab ipsis redduntur incolumes. Præterea censent maximam regni esse partem, communem omnium salutem, quod sanè in ipsis etiam sum admiratus. Non enim in hoc duntaxat medicaminę conficiendo ponunt industriam, sed

ita

ita ſunt in omnibus erga commune benigni munificique, vt, ſi quando amicis aliquibus vſus venerit, mirum ſit quàm prompte, ac quanta alacritate medicamenta communicent: eaque non vbi vſus neceſsitas ingruit, tunc conficiunt, ſed ad ipſum tempotis articulũ expromptam quoque illorum compoſitionem egregie poſsident. Quum igitur Antipatrus, qui Græcas ipſorum epiſtolas facere creditus eſt, & propter morum grauitatem, & abſolutam in dicendo facultatem, magno in precio: habitus, nephritico infeſtaretur affectu, grauemque ex eo, & intolerabilem dolorem conciperet, ſtudium ipſorum amicis ſeruandis quauis laude digniſsimum cognoui, mirificamque circa medicinam, animi contentionem. Itanque varijs differentibusque ſymptomatis obſiſtentes, cum morbo longe pulcherrimis medicamentis certabant: præſtantiſsimorum medicorum inſtar, qui vel omnem vitam in ipſius exercitatione contriuerint. Iam vero Arriam multo omnium mihi chariſsimã, quæ & ipſa ſupra modum ab eis commendabatur, quòd diligentem philoſophiæ nauaret operã, & Platonis maxime

me libris gauderet, in lecto quandoque grauiter decumbentem, vtpote stomachi dissolutione affectam: iacentemque adeo, supinam, vt ne cibum quidem potuerit capere, atque ideo in atrophiæ periculum veniret, non aliter quã medici expertissimi mulierem curauerunt, propinantes ei vinum, meo consilio, ex absinthio confectum. Huius siquidem potu illico stomachum ab imbecillitate vindicauit, & sine mora appetitus officium recuperauit. Cæterum quid in filio tuo euenerit, nimirum adhuc in memoria retines. Quum enim facto abscessu, tu quidem vt benignus pater, tardior ad sectionem esses, tempus autem humorem contentum excerni postulasset, ipsi medicamine exhibito, magna nos ipsius solicitudine liberarunt. Applicatum nanque emplastrum, locum quidem incumbentem acutius quàm scalpelum, diuisit, totum vero humorem subditum euacuauit, vt puer hinc non amplius dolorem persentisceret. Hac igitur circa ista medicamina, vti vides, honestate regia præditi, haud immerito quoque theriacam diligenter præparant, singula quæ miscent, accuratius probantes ipsi, quo nihil

nihil prætereant. atque hanc ob cauſam mirifica antidotum opera ædere. Etenim varia conſtat miſtura, & multiplicem in operibus vſum exhibet: quo nomine illum qui primus confecturam ipſius molitus eſt, admiror. Quippe videtur non temere, ſed exacta quadam ratione, atque explorata admodum cura compoſitionem ipſius inueniſſe. Non enim ſicuti medici, qui ſe à profeſsione Empiricos appellauerunt, neglecta naturarum ratione, vnumquenque ſine artificio curant, turpiter quædam ex inſomnijs, quædam vero ab ipſa fortuna ad ipſam artem medicamenta capere ſe pronunciantes, ita nos quoque medicinam tractamus, verum quæ ratio ipſa prima, ſolaque poteſt inuenire, eadem exactè omni conſideratione diſquirentes, magno ſtudio comperimus. At quæ inuenire nequit, ea ſenſuum, experimento iudicamus, plerunque ne ipſi quidem ſoli ac vnico ſenſui iudicium de eis concredentes. Neque enim calcem ꝙ candida ſit, quem admodum nix, viſu duntaxat frigidam iudicare ſatis eſſe cenſemus, neq; roſam quod rubra ſit, ideo etiam calefacere ipſam illico pro certo habemus,

ſed vnà cum viſu ſenſum quoque tactus adhibentes, illam quidem calefacere, adeo vt vrat, certo inuenimus: hanc vero quod frigiditatem econtrario in ea tactu percipiamus, ex refrigetantium numero eſſe firmiter habemus perſuaſum. Atque hoc pacto réliquorum ad amuſsim medicaminum ſingulorum virtutem ipſo ſenſu iudicantes inuenimus aliud eſſe ſalſum vel acre, aliud amarum vel dulce, guſtatus nimirum probatione. Quòd autem aliud calefacit, aliud refrigerat, aliud humectat, aliud exiccat, tactus ſubſidio eſt condiſcere. Multorum vero ex ipſo odoratu probationem molimur & facultatis robur ex vehementi exhalatione deprehendimus, imbecillitatem virtutis ex remiſſo odore. At probatum ne ſit, an minus quodlibet medicamentum ſimplex, ſenſus ipſius iudices ſtatuentes cognoſcimus. Atque his primum illa experti, & fide ex vſu ſenſuque aſtructa: ità deinceps experimento rationē adiungentes, ac in omnibus veluti ducem ipſam ſequentes, tū ſimplicibus medicamentis congrue vtemur, tum compoſitionem ipſorum rationis artificio præſtantiſsimam reddemus.

mus. Nam morbi cuiusque natura com perta, ac varietate differentiaq́; temperamenti simplicium medicaminum cognita, sic composita præparamus, vnicuique morbo quod congruum est, varia ipsorum compositione distribuentes, singulisq́ue hominibus pro corporis ipsorum statu, vt medicamentaria pars medicinæ præcipit, artificiose adaptantes. Multa nanque, vti non ignoras, penes nos est ad vsum parata medicamẽtorum facultas, adeoque diuersa, vt non solum in compositione virtutis diuersitas videri queat, sed etiam simplicium medicaminum alia ex tota ipsorum substantia vnam quandam & simplicem virtutem indicent. Quem ad modum Scammonia bilem flauam trahere apparet. Epithymum, quod ab Attica importatur, atræ bilis humorem ex ventriculo purgare cernitur. Coccus gnidius, pituitam & totum aquosum humorem educit. Hæc siquidem medicamenta ex tota ipsorum parte, totaq́ue substantia huiusmodi humorum eductionem moliri conspicimus. Non enim fidem Asclepiadi Bythino medico adhibemus, cuius sententia est: Quum homo iam purgatur, tunc etiam humores

hos ſtatim ex aliqua gigni mutatione. Quippe quoniam illi qui corporis hypotheſim ex meatibus & tumoribus quibuſdam ſtatim inter initia conſtituerit, huic quum & neceſſe fuerit naturę opera de medio tollere, conſentaneum erat & hunc de humoribus ſermonem dicere, tanquam id quod ab eo adducitur, à ratione ſit alienum, & omnino fieri nequeat. Quis enim ſanæ mentis crediderit, tam ſubito quã medicamentum corpus attigerit humoris qui excernetur, ſubſtantiam generari? Quis contra non facile ſibi perſuaſerit, humores, hoſce prius quoque ſecundum naturam corporibus ineſſe: quum videat arquato morbo laborãtem, eo tempore quo medicamentum bilioſum humorem purgans cepit, & bilem ſubito copioſam excernere, & affectu expeditè liberari? Eũ vero qui aqua inter cutem affligitur neutiquam medicamento quodam ſimulac fuerit aſſumptum, omnem aquam ventriculo inſidentem cito admodum vacuare, atque ex tam ſubita vacuatione nullum ſanè humorem, aut certè pauciſſimum in particulis infarctum habere? Verum hæc Aſclepiades, pueriliter dogmatis neceſsitati inſeruiens, ambitionis

ſtudio,vt dixi,videre ſe diſsimulat, omniaq; probabilibus potius figmentis conatur inuenire, quàm propriam cuiuſque medicamenti facultatem vere confiteri. Nos autem quum hæc videamus, ſciamuſq; id quod poſsit ratione vniuſcuiuſque medicaminum naturæ virtutis proprietatē vere agnoſcere, hic quoque medicamenta natiua quadam facultate, conuenientem ſibi ſuccum attrahere, compertum exacte habemus. Quemadmodum etiam ex eo quod Magnes lapis ferrum ad ſe attrahit, virtutē quãdam attractricem ei ineſſe natiuam videlicet rationabiliter nobis ipſis perſuaſimus:quum enim veluti deus ſit natura in nobis (iuxta Homeri ſentētiam) ſimilia ſimilibus adiungens, ita diuinas ſui ipſius facultates oſtendit. Ac reliquorũ omnium naturam pari ſtudio examinamus: vt vim quoque ipſorum per quam operantur, exquiſitè perdiſcamus. Nam dum examen illorum molimur,alia, ſicut dictum eſt, per totas ipſorum ſubſtantias functionem obire deprehendimus: alia mixtam quoque in ſubſtantia virtutem habere, & duplici fungi actione tam manifeſto ſæpe, vt etiam quam maximè contraria ab eis fieri in corpore

conſpiciamus,atque id miraculum eſſe videntibus apparet. Lapathi igitur folia comeſta ventrem cient: ſemen autem aſſumptum aſtringit. Similiter & Braſsicæ ſuccus, & vetulorum gallorum ius, & coclearum marinarum humores aſſumpti, aluum mouent. Olus autem ipſum Braſsicæ, & illarum carnes comeſtæ, ventrem comprimunt. Aloë ſquamaque æris ſupercreſcentes vlcerum carnes adſtringunt: & humores qui ſub ipſis naſcuntur, ſubinde exiccant. Aſſumpta vero per os, vniuerſũm corpus purgant. Lac vbi à nobis diuiditur, contrarias in vſu facultates oſtendit. Nam ſerum ipſius bibitum, ventrem reſoluit. Caſeus ingeſtus exactè ipſum cohibet. Nonnulla verò tam inopinabile quippiam in temperatura facultatum quæ commiſcentur efficiunt,vt auditoribus quoque nullo fieri modo poſſe videatur, niſi ſuis ipſi oculis id quod accidit contueantur. Trifolium itaque herba, quæ hyacintho ſimilis, quũ vere flores emiſerit, etiam ſemen agreſti Cnico perſimile obtinet: decocta admodum, deinde morſibus aranei, vel ſerpentis quoque ex aquæ fotu adhibita ipſis medetur, & dolores

lores ſtatim ſedat. Sin autem in alio nō commorſo ſanum locum eodem fotu circundederis, ſimilem ſenſum, ſimileſq; dolores ijs quos morſus inuehit, omnes conciliat: vt reuera miraculo dignum opus eſſe videatur, videlicet herbam & morſum ſanare, & ferarum modo ſanam partem prauè afficere. Iam verò ex medicamentis quædam hominum nutritioni minime conueniunt. Cicuta enim, ſturnos quidem nutrit, & letalem in ipſis vim non exercet, nos autem quem ad modum probè noſti, interimit. Veratrum, coturnicum cibus eſt, homines malè corrumpit. Nonnulla verò partes etiam quaſdam corporis priuatim vitiant. Nam lepus marinus pulmonem exulcerat: Cantharis veſicam peculiariter afficit: E contrario pleraque medicamenta, quibuſdam corporis partibus eximiè curandis, ſunt idonea. Patienti igitur iecinori ſæpe Eupatoria herba perſtrenue auxiliata eſt. Glans vnguentaria, Myrobalanon vocant, lienem adiuuat. Saxiphagon, & Betonica, renes pulchre afficiunt. Et similiter alia aliorum, vt experiētia obſeruauimus, propria ſunt medicamina, q̄ nos, vt dictū eſt, diligēter p

ſcrutati cuilibet morbo,vt conueniunt, admolimur: Hippocratis doctrinam longè optimam in his quoque,vt in aliis omnibus, æmulantes. Quod enim exactiſsimam de medicamentis artem fecerit, cum ex aliis pleriſque ab ipſo conſcriptis eſt cernere, tum ex iis quæ ſecundo de morbis publicè graſſantibus libro in hũc modum prodita reliquit. Medicamẽtorũ modos ſcire cõuenit,ex quibus qualia conſiant. Non enim omnes ſimiliter componuntur, ſed alii aliter. Iã alia medicamenta maturius, vel tardius capta, poſſunt præparari: nempe ſiccari vel tundi,vel coqui,ſimiliq; modo confici.Huc accedit explicandum quæ ſingulis conueniant, & in quibus morbis, quo morbi tempore, qua ſpecie, quali victu, vel anni tempore, quo modo tractemus,& id genus alia. His enim, vti vides,generalius nos docet,vt qui & medicamentorum naturas diſcere nos adhortetur,& tempus exquirere, quo medicamenta debent aſſumi. Denique eorum qui aſſumunt, temperaturas inſpicere. Sunt enim nonnulli proculdubio, qui tam facile ea poſſunt capere, vt etiã ſæpius concoquant, vel nihil ab ipſis incommodi, ſed aliquando nutrimentum

tum experiantur. Quidam tam inepti medicaminibus assumendis existunt, vt nequaquam vti ipsis possint, & stomachus auersetur, ac ante vsum facilè dissoluatur. Hæc igitur, vt quidem existimo, & veterum medicorum præstantissimi ab ipso edocti: optimas sic medicamentorum compositiones effecerunt, ex singulorum natura confecturæ artificium inuenientes, quæq; intensa sunt ipsis qualitatibus, aliorum mistura remittentes. Simili ratione acria hebetãtes, & vt summatim comprehendã pro reliqua cuiusque vitii differentia, & hominum temperie, medicaminibus cum artificio vtentes. Quare vt animum induco meum & Theriacen hanc, de qua totus hic liber ampliter differit, ex plurimis optimisq; medicaminibus præparunt. Quum enim considerarent morsus noxiarum ferarum esse ineuitabiles, & venenosorum medicamentorum symptomata letalia: ad hæc quum perpenderent hominum naturas permultum inuicem differre, & aliud alii medicamen idoneum merito exactam ipsius, & variam fecerunt misturam, vt huius rei gratia, certo ipsa in his omnibus finem assequeretur: atque ob vsus necessitatē,

magno ſtudio ab hominibus affectaretur. Nihil ſiquidem inter vitæ mala difficilius eſſe mihi videtur venenoſis medicaminibus, & feris noxiis. Etenim ab aliis etiã grauiſsimis fuga nos præſeruamus: illa maximè hominibus imponũt, quòd videlicet aliqs, quũ ſibi nõ caueat, frequenter venenum, neſciens imprudensq́; ipſe aſſumit: deinde commorſus à fera quadam, ſubito interit. Ego autem ex quodam hiſtoriæ libro accepi, quo modò aliquis bellum contra Romanos gerere voluerit, nulla militaris ordinis potentia munitus. Homo vero hic, inquit, cartaginenſis, complures ollas feris, quæ repente poſſunt occidere, refertas aduerſus hoſtes proiecit. Illi autem non intelligentes, quidnam mitteretur, eoq́ue neutiquam ſibi cauentes (quippe tales emitti ſagittæ inter hoſtes non ſolebant) protinus collapſi perierunt. Atque propterea homo ille frequenter eiuſmodi aſtutia, tanquam & ipſe fera quædam exiſteret, inimicorum manus effugit. Quam ob rem putauerim & vobis primatibus, & exercituum ducibus ad tales vſus hoc eſſe habendum medicamentum, quòd nonnunquam bellandi incidat neceſsitas.

tas.

tas. Olim itaque citra ferarum quoque mistionem confectum medicamentum, similiter ad huiusmodi mirifice faciebat. Quum autem medici semper in huius præparationem certatim incumberent, ac aliud commiscere cogitarent, in hunc modum quidam considerauit, miscuitque ipse beluas. Aiunt autem Andromachum hunc virum fuisse medicũ mehercules memoria dignũ, haud multo antè nos natum. Quippe Neroni conuixit, cui etiam ipsam dedicauit, tum vires, tum confectionem carmine complexus. Quod tibi hic subiungam, ne ipsius historia careas, tam studiosus alioqui & cupidus literarum. Illud tamen præfabor: Theriacè non solum quòd ferarum morsibus probè conueniat, sed etiam quòd feræ ipsæ deinceps in confectura misceantur, congruè ex vtroq; significato esse nominandam, versus autem hi sunt.

ANDROMACHI SENIORIS, Neronis archiatri ex Viperis Theriace, cui nomen est Galene.

Accipe quas habeat Vires, clarissimè Cæsar.

Ante

Antidotus multis consociata modis.
Accipe secura Nero libertatis alumne
Magna salutifera robora Theriaces.
Dicitur hæc Graijs hilare. simul eudios atq; galene:
Ad partus duros haud medicina leuis.
Nec si Meconis perfrigida pocula succi
Hauseris, insignem vim negat illa suã.
Nulla cicuta potest hanc vincere, nullum aconytum:
Nec quoque frigidior saccus hyoscyami.
Feruida non thapsus, letalia pharmaca Medæ,
Sanguineumq; valent vlcera canthari-dum.
Vipera nigrescens ictu, infestusq; cerastes.
Arida seu dipsas, non superare potest.
Scorpius aduersum hanc, itidem nil promouet aspis.
Quæ in reliquis virus exitiale tenet.
Non dryas inuisus contra hanc occurrere pugna
Audeat, in latebris sed manet ipse suis.
Dryinos, necnon hæmorrhum, sanguinis expers
Qui virus fundit, hac potione domas.
Non hoc offendunt inimica phalãgia potu,
Quæ horrifico vexant sumpta dolore virum.

Non

Non hydrus, aut Epichersus, vbi subsidere cancer
Percalido primum pascere solet aquis.
Nulla tibi amphisbena nocet, siccosque perrerans
Campos exitium nulla rubeta feret.
Huic fidens Cæsar prato oblectare per æstũ,
Nec Libyæ curæ siet harena tibi.
Quin stomachum curat medicamen, quum æstuat ægrum
Assiduè vexans, insuper asthma velox.
Vel quum ventriculus turbatur flatibus, vndam vt
Interius surdam concitet ipse chyli.
Vel quum difficili vertuntur tormine vẽti
Intestina, colon pulsus vbi exagitat.
Vel quum iam totos confuso felle per artus
Vt propius nequeat esse colos oculis,
Regius infestat morbus, non ulla ciborum
Cura adsit (quanuis Iuppiter annuerit
Tempora longa) animo sed tristes limina vitent
Eius qui medicam polliceatur opem.
Si videas pallore malo candentia membra,
Tollet hydropa suis viribus antidotus.
Et fuscata statim lustrabit lumina, rebus
His quoque si incipiat, non vereare phthisin.
Sola etiam Tetanum, Tendonum spasma, profum

profundi

Theriace hac adimet pondus opisthotoni.

Vel quum thoracis pungit membrana locellos,

Pulmones reprimens desuper ipsa leues,

Vel quādo horrificos patitur vesica dolores

Vlceris, illius prædomitusq; porus

Impedit vrinam, coles & reddere eandem

Appetit, & crebro proruit in venerem.

Quum renum sanit cruciās iniuria lūbos,

Hoc poterit potu tristis abire dolor.

Pectoris & labem saniosam pellitat ægri

Multos vsque dies hæc potio antidoti.

Pestiferamq; luem curat, quæ tempus in omne

Spiratu grauis est, intima conficiens.

Atq; canis rabidi virus quod morsibus īdit

Lætus odorata euaseris antidoto.

Hinc tu sume fabæ pondus, quam lympha creauit

Vmbratilis, cœno & tecta simul folijs

Nēpe fabæ Nili, grauitatis nomine, ternis

Antidoto calidam consocians cyathis.

Sumito quando capis somnum, vel luce reuersa,

Vel vno pariter pocula bina die.

Luce bibent ipsam, quibus est sol tristis, vt inde

Lenimenta mali quod furit, accipiant.
Nocte, quibus tenebræ grata minus ordine verso,
Ante thorū pulchrè sūpta medela facit.
Virulenta animās quos læsit vulnere diro,
Aut cui letalis capta fuit potio,
Apponens hilares affectis pocula, eodem
Noctu luce simul fac medeare modo.
Quin & perpetuo spiranti nocte quietem
Præbebis Cæsar hac potione leuem.
Pricipio expert' vir arte venabitur angues
Audaci, miros celeritate, manu.
Hos quum tristis hiems abijt, non amplius arctos
Terræ secessus intus habere vides,
Missis iam latebris subeunt nemora ampla virentis,
Quæsitū marathri semina grata oculis.
Hæc visum refouent serpentibus, atque bubulcos
Quos metus exercet, sæpe dolore leuant.
His ipsis caudas, & perdita colla veneno
Præcides, vacuos ventriculosq; adimes.
Quippe venenatos vtraq; ex parte dolores
Ictibus emittunt, caudaq; virus habet.
Ergo secas ipsis ceruicem, atque extima, quantum
Intus pygmei tenditur arcta manus.
Virulēta cadūt pariter cū sanguine, motis
Extre-

Extremis, Hilaren ex oriente facis.
His tibi sic factis, carnes in fictile mittens
Vnà compositas igne parabis acri.
Lympha quod satis est infundes, germen anethi
Cum anguina iunctum carne coquens pariter,
Ast vbi spina cadit cocta de carne recurua,
Desuper & belua noxia terga tument.
Exime, quo feruens frigescat mistio flammis:
Infestas carnes & procul amoueas.
Abstrahe serpentum spinas, virus redolentes,
Quas persentiscet non malè docta manus,
Carnibus adijcias sicci panis & bene pisti
Quantum pastillos fingere sufficiat.
Verum vbi iam pila fundo contusa rotūda
Cuncta, super nigrum tu modo funde solum.
Protinus hic etiam cum cortice scilla pilosi
Illita cui circum pasta sit, incaleat.
Dum sic assetur, nec fiat durior inde
Cortice, nam ardescet leniter igne cinis.
At postquam calefacta nimis disrumpitur, ipsam
Deponis, carnis portio tripla manet.
Et pilis eruum binis demittis acerbum,

Pistilloq;

Pistilloq; moues, quod teris, inferius.
Aufers & riguos pastillos, inde figuras,
Quos vt siccescant sole procul referas.
Quinas illorum decadas de lance duabus
Drachmis depositis pondere connumeres.
Inijce confectum globosum ex vipera panem,
Sit tamē istius, dimidioq; minus.
Tot piperis calidi meconis, magmatis adde,
Magmatis hedychroi par mod' inijcitur.
Bis senis sicca drachmis folia ingeris inde
Rosa, coniunges irin & illyricam.
Hoc glycyriza modo, necnō opobalsama odo-
Scordion & dulcis semina buniados. (ra
Istis aquali cinamomum pondere iunges
Indere tantundem sis memor agarici,
Sed myrrha & costus, crocus & qui duci-
Corycio binas accipiēt triadas. (tur antro
Iā casia & nardus qua extremis fertur ab Indis,
Iūcus apud Arabas victima facta deis.
Thus, piper obscuū, dictāni germina, rheō,
Praterea stœchas: zingiber atq; calens.
Prasion, & terebinthina, & calaminthe & petroselinum,
Quinq; simul foliū, singula pondus idem.
Actutū polij quaternas ponito drachmas.
Tot styracis faciēs, atq; chamapytios,
Meu totidem drachmas, & amomi postulat vna,

Nard⁹, quã generat Gallica terra, simul.
Lemnia ereta pares, phu ponti, itidemq; Chamædrys
Semina Cretensis, Malabathri folia.
Torrida chalcitis, & Anisum, & Gẽtiana
Succus hypocystis, hoc quoq; po.ius amãt.
Balsameũ fructũ, gũmi, semẽq; marathri.
Et cardamomũ quod tenet Indus ager.
Acacia, hypericum, seseli, thlaspi, sagapenũ,
Ammi, quater drach. singula suscipiunt.
Castorium, terræ malum, nigrumq; bitumẽ
Iudaicum, dauci semen, opopanaca,
Galbana opima itidẽ, necnõ centauriõ æque:
Ternis bis scrupulis singula consocias.
Oĩa permulto subigãtur in orbe phalerno,
Quæ lachrymas referũt humiditate chyli.
Sed lignosa teres, sic cuncta melle remiscẽs.
Quod regio nutrit Attica præcipuum.
Phœbe tuum munus prompto comitare fa-nore,
Seu nũc te oblectẽs per iuga Thessaliæ,
Seu Rhodon, aut Burinnam habitas nũc, aut Epidaurum,
Des hilarem regi perpetuo Antidotum.
Nempe tuam gnatam Panaceam, nam ipse salutem
Abs te ortã sacro semper honore colet.

Quũ itaque versus hi nõ sine ingenij

dexteritate à viro ſint compoſiti: neceſſarium mihi videtur inſpicere, cur tādem in tanto talium ferarum numero, non alterius quàm viperę carnes in miſturam eſſe idoneas cenſeamus. Ipſe enim nihil de his, vti vides, ſcriptū reliquit. ego vero has minus alijs feris tabificam vim obtinere autumo. Nam baſiliſcus, belua ſubflaua, & triplici frontis apice munita: viſus etiam ſolum, cōſpectusque, & ſibilo auditus, homines momento perimit. Porrò ex alijs animantibus ſi quod illum iam extinctum, iacentemque attingit, & ipſum ſubito interit. Quare omne aliarum ferarum genus, propinquitatem ipſius deuitat. Dryinus ſerpens ſic nominatus, quòd in radicibus quercuum viuat: tam malignus ad perdendum proditur, vt eius qui ſupergreditur imprudens, cutis à pedibus excorietur, tota crura intumeſcant: & quod magis mirificū eſt, manus quoque ipſas curantium eodem modo periclitari. Sin autem quis aggrediatur eū perimere, olfactu mulctatur adeo, vt quælibet gratū odorē, prauum eſſe exiſtimet, nec alterius præterea rei queat ſentire. Hæmorrh' & hæmorrhois ſuis ipſorū nominibus ſimilem homi-

nibus perniciem inferunt. Quippe percuſsi, ſanguine per os & nares totoque corpore effuſo, intereunt. Quemadmodum à dipſade commorſi, cauſo febri male conficiuntur. Nam & multa ſiti, & æſtu vehementi vexati, interdum & dirupti, diem obeunt. Acontias ſerpens, vbi ſe multum extenderit, ceu iaculum quoddam, corporibus inſiliens, ſic perimit. Inter Aſpides nominata ptyas ceruicem exporrigens & ex interuallo metita rationalis cuiuſdam animalis modo, venenum corporibus inſpuit. Harum igitur ferarum vna (nam triplex Aſpidum ſpecies eſt, hæc videlicet, cherſæa, id eſt terreſtris, & chelidonia) perhibēt reginam Cleopatram, quum vellet latere cuſtodes, ſtatim & citra ſuſpicionem, mortem ſibi conſciuiſſe. Quum enim Auguſtus deuicto Antonio eam capere incolumem vellet, ac viuere, ſtudioſiuſque (ſicut par erat) ſeruare, vt Romanis tam inſignem mulierem in triumpho oſtenderet: hæc, aiunt, re intellecta, optauit regina adhuc ex humanis potius decedere, quã priuata Romanis videri. Et tũc molita eſt ſibi hac beſtia mortẽ cõſciſcere. Præterea memoriæ ꝓdũt, ipſam duas

duas omnium fidiſsimas mulieres ad ſe vocaſſe, quæ ad pulchritudinem corporis mundo ſubminiſtrando erant accommodatæ (nominabantur Naera, & Carmione: hæc comam decenter implicabat: illa extremos vngues dextrę præcidebat) deinde iuſsiſſe, vt feram vuis ficubusque tectam importarent, quo, vt dixi, cuſtodes falleret, prius expertura in ipſis mulieribus, an ſubito poſſit perimere. Et hæ quum actutum periiſſent, deinde ipſam ſibi exitium attuliſſe. Ob quam rem Auguſtum vehementer fuiſſe attonitum commemorant, partim ob harum erga reginam amorem, vt cum ea mori non dubitarint: partim quòd illa generoſam potius mortem oppetere maluerit, quã in ſeruitute viuere. Etenim aiunt ipſam, manu dextra capiti admota, & diadema, ſicut eſt conſentaneum, tenente, fuiſſe inuentam, vt vel eouſque ſpectatoribus regina eſſe videretur. Quẽ ad modum & tragicus poeta ſcribit nobis Polyxenam quæ & ipſa moriens, accurate tamen dedit operam vt cum decoro caderet. Porrò qui mulieris proſperum vt falleret cuſtodes, conatum, feræ autem ad occidendum,

pernicitatem sermone volunt ostendere, referunt ipsam suummet brachium magno morsu, eoque alto, vulnerasse, & beluæ virus in vase quodam ipsi allatum, vulneri infudisse. Quo sic transmisso, haud multo post nesciis custodibus prompte interijsse. verum hanc historiam animi gratia commemorare visum est, quòd te in omnibus disciplinis diligentem dextrumque videam. Ad hæc, vt intelligamus quàm subitam hæ feræ necem cōcilient. Etenim exitio inferendo haud dubie sunt præcipites. Ac in magna Alexandria subinde sum contemplatus quàm celeriter perimerent. Quum enim quendam hac pœnæ lege damnatum, humaniter, citoque volunt occidere, adijcientes ipsius pectori feram, iubentesque paululum obambulare: ita sine mora hominem tollunt è medio. Vides igitur, quàm nos decenter nullam ex huiusmodi feris, quòd tantam habeant in ipsorum corporibus vim noxiam, medicamēto admiscemus. Atque ipsarū viperarū corpora nō integra antidoto immitim', sed amputatis capitibus, caudisq;: ita reliquis ipsarū partibus in misturavtimur, idq; non obiter, nec sine vlla facientes

ra-

ratione; sed quoniam capita pessimum humorem, nempe ipsum virus in se continent, ideo ipsa præcidere conamur, vt minus ex ipsorum virtute medicamẽtum recipiat, quum natura eorundem vim quandam mutatricem in virus obtineat: quemadmodum & in testibus semen, in mammis lac mutatur. Vipera autem inter omnes alias feras caput habet perniciosius. Siquidẽ aiunt ipsam os aperire ad suscipiendam maris geniturã: qua accepta, caput illius abrodere. Atq; hunc ipsis esse praui complexus modũ. Deinde fœtus ex semine prognati, naturali quadam vltione, parentis vterum erodere, & foras prorũpere. Ac ita ipsos patris vindices, matrẽ perimere. Quod nobis egregius Nicander, versibus suis ingeniosè scriptũ reliquit. Sunt autẽ hi.

Ne sis in triuijs quum morsus vipera cõiunx
Fæmella fugiẽs, agitata vulnera abhorret.
Et quum dente caput magno maris amputat atri
Fæmina dira nimis, labijs & mordicus hærens:
Sed catuli vltores patris sunt protinus, vt qui
Perrũpant latera occisa iã rara parẽtis.

Caudas, atque ipsa extrema corporis

tollimus, tanquam caudæ partes, & vt arbitror, sordidiorem substantiæ portionem magis trahentes: adeoque crebrius, motus gratia trahentes, quemadmodum partes quæ proximæ sunt caudis piscium, magis nutrire ob frequentem motum dicuntur. Ne mireris si his amputatis, reliquæ animantium partes efficacius reddant medicamentũ natiua ad salutem virtute etiam carnibus ipsarum indita: veluti in aliis animantibus, plerasque partes non paucos affectus strenue sanare nouimus. Nonnullis igitur capita murium combusta, ex melle illita, alopeciam curare possunt. Et milui caput aiunt similiter podagricis auxiliari, si quis ex eo vsto sine plumis, quantum sub tribus digitis inspargere posſit, cum aqua volet bibere. Et partium nonnunquã solæ particulæ aliquos morbos persanant. Itaque cameli cerebrum arefactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis medetur, & mustellæ similiter. Item hirundinis cerebrum ex melle ad suffusiones oculorum facit: & ouillum simili modo confectum, ad dentionem infantium est vtilissimum. Taurini cornu rasura cũ aqua pota, sanguinis eruptionẽ cohi-

cohibet, femoraque vsta, sanguinem stringunt, & sæpenumero solutam al-uum ea ipsa sistunt. Ceruini cornu ramẽtum adustum, & cum vino tritum, deinde circumlitum, vacillantes dentes confirmat, sicut & bouis talus idem posse traditur. Idem educit rotundos lumbricos cum lacte potus: ex oxymelite lienem consumit: & leucas tollit illitus. ad hæc mediocriter venereus est. Et castoris testiculi similiter poti, conuulsionibus medentur. Iam vero non desunt animalia, quorum fel homines potest iuuare, adeps, medulla, lacq; cutis, sanguis ipse, & serpentis senectus. Quin & stercora ipsorum quibusdam auxiliata vidimus, bouillum itaque stercus aridum, combustum, tribus cochleariis hydropicum iuuat. Murium stercus cum aceto tritum, alopecias curat, in potu autem sumptum, vesicæ calculos comminuit. Adeps anserinus, inflammationibus ex rosaceo medetur. Et cerui medulla, blandissimum est medicamentum: vaccini lactis potus dysentericos adiuuat. Fel hyenæ visum exacuit: illitũ, suffusiones discutit. hippopotami cutis vsta, & ex aqua læuigata, si corpori admouetur,

phymata digerit. Quem ad modum & viperæ pellicula in puluerẽ redacta, impositaq; alopecijs, mirifice pilos regenerat. Aspidis exuuium ex melle tritum & illitum, acutissimum visum conciliat. In summa, multa est talium materia, quam nunc rescribere tempestiuũ non esse iudico, ne liber fiat prolixior: quum etiam sola quæ prædiximus, ad sermonis demonstrationem sufficiãt. Illud vero scitu est necessarium, tota ipsorũ animalium corpora frequenter hominibus auxiliari. Cancer enim fluuiatilis tritus, illitusque, spicula & surculos extrahit. †Cantharis similiter læuigata, cũ bryoniæ radice pota, lumbricos educit. Scorpius si assus cum pane comeditur, conterit vesicæ calculos. Terræ intestinum ex vino assumptum, idem facit. Sin autem ea in melicrato contrita quis regio morbo laborans sumat, statim purgatus, liberatur. Sæpe etiam cum rosaceo cerato imposita, podagricorum inflammationibus conueniunt. Accipiter in susino vnguẽto decoctus, hebetudini oculorũ medet. Scarabe' in oleo decoct', si in aurẽ stillet, dolores ipsi' medicat. Alauda vsta si edit, mirifice colicos subinde iuuat. Et quo magis vim in ipsorũ corporib' ad

Aliàs caris. i. scilla.

ni-

mireris, illud, tibi ſtudioſius percenſebo. Multa nanque & viſa ſolum, robur ſuum oſtendunt. Stellio, ſcorpiones viſos ſuſtringit, atque ita perimit. Amphisbena (eſt autem animal biceps, quẽ ad modum ſanè & nauigia vtrinq; proram habentia, cui natura ex ſuperfluo ſubſtantiæ bina capita eſt largita) hoc inquam animal, aiunt, ſi mulier grauida ſupergreſſa fuerit, male abortum facit. Quare non eſt mirabile, ſi etiam viperarum corpora, amputatis illis partibus, adhuc auxiliandi robur obtineant. Nanque oſtendi, vt puto, diligenter, & tota animalium corpora nõnunquam hominibus auxiliari. Interim etiam ſolas ipſas partes. Aliquando partium quoque ipſarum particulas minimas. Illud autem ſermone perſcrutari magis eſt neceſſarium, quod & vulgo admiratione dignum eſſe videtur. Siquidem ipſæ feræ, quum ſint corporibus inimicæ, & tam ſubito hominem perimant, quo modo iterum morſibus ab ipſis factis poſsint ſuccurrere, & ſolæ hominem ex tali periculo prҿſeruare. Vetus quidam ſermo eſt, quҿ dã animalia vbi inter mordendum ſanguinem humanum ex vulnere manan-

tem

tem contigerint, commorſos occidere. vbi vero ſanguinem nõ guſtauerint, ſed ita vorantur, morſos ſeruare incolumes poſſe. Sicut etiam de Helenio, à Græcis inquilinis Nico appellato, idem memoriæ proditum eſſe dicunt. Nam Dacas, inquiunt, & Dalmatas id telorum cuſpidibus circumſpargere, aque ſic poſtquam ſanguinem vulneratorum attigerit, poſſe necare: eſum vero ab ipſis eſſe innocuum, neque mali quicquam ipſis facere. Ad hæc ceruos ab ipſis ſagittarum ictu trucidari, neque ipſa comeſta, mali quid edentibus afferre perhibent. Verum hæc ratio non mihi videtur ſufficere, vt quod quærimus poſsit inueniri, quum experientia nitatur, & ſolum quod accidit commemoret. Et enim Empiricos non recipio, quoniam & ipſi idiotarum modo propoſitum ſpeculantes, rem quidem admirantur, cæterum cauſam ipſius ignorant: Qui neutiquam requirunt diſcere, ſed detrectant ipſam ratione inuenire, ac ſolum facta probantes, experientiam ſæpius viſorum ſatis eſſe medico aſſerunt, eundem admirationis modũ cum idiotis, vti eſt videre, obtinẽt. His autem di-

ligen-

ligentiores fatentur quidem medicos eruditius aliquid idiotis merito habere, ſed nequeunt inuenire, & inquirere ſuperuacuum eſſe arbitrantur. At nos multo accúratius in medicinam incumbentes, ac quæ fiunt vulgi duntaxat more nolentes inſpicere: neque experientiam repudiamus, ſed ei rationem coaptantes, quum datur occaſio, abſolutam ita, & rationalem neceſſario reddemus artem, non vt ſolum, diſquirendi ſtudio quomodo fiat, aſſequamur, verum vt etiam aliquid ad dextram curationem ex inuento condiſcamus. Atque hic ideo inſiſtemus, rationi, vt rei, quæ fit, cauſam inueniamus. Miraculum enim videri queat, quòd ſi ex inquirẽdi ipſius ſtudio promptè, & ipſa tanquam reſpondens ſubito reperiatur. Et vt magis ſermoni fidem adhibeas, ex alijs quibuſdam, quæ manifeſto ex operibus apparent, demonſtrationem producam. inſuper ex ijs, quæ foris imponuntur duntaxat, & per os ſumuntur. Nam à Crocodilo læſis, ipſius adipem vulneri impoſitam, ſummo eſſe præſidio nouimus. Item muris aranei morſus æquè letales, ab ipſo rurſus in puluerem redacto,

ſuper

ſuperpoſitoque citra dolorem iuuari. Similiter qui à vipera ſunt percuſsi, periculum effugiunt, ſi trita ipſarum corpora vulneribus ipſis applicuerint. Nec talia citra rationem in ipſis, vt dixi, eueniunt, nec tantum obtinent virtutis, vt poſsint perimere, ſi reſpicias diſtributionem facultatis in altum penetrantis. Quem ad modum ſanè in cataplaſmatis idem quoque fieri cernimus, virtute in corporibus ipſorum moderata, quę mederi deinceps queat, non autem occidere: verum quod in Theriaca accidit, manifeſtiorem habet rationem. Dico autem propterea feras has noxias, ab ipſis commorſos iuuare, quòd copioſior vis tabifica ſimul cum capitibus amputatis, tollatur. At hæc vim in alijs partibus reliquam confectionibus nos obtundimus, dum ipſas coquimus: & ſalis, anethique non parum aquæ miſcentes, nec condimenti ſolius gratia talia contemperantes, ſed vt corpora eliqueſcant. Atque hoc modo ipſa paucum virus, aut nullum prorſus habere facimus. Plurimum autem virtutis auxiliatricis præparatio exhibet. Quo modo igitur feræ tot & talibus miſtæ medicamentis, amplius

que-

queant perimere, quum malitia ipſorum corruptrix ſit exoluta? Inſuper verior ratio videbitur, ſi in quibuſdam quoque ſimilibus demonſtrationem adferam. Cantharis nanque ſola exhibita, veſicam exulcerat, & inimicum eſt ipſi medicamentum, & valida ſæpenumero virtute, hominem ingulat: miſta vero alijs quibuſdam, econtrario ipſius veſicæ fit auxilium, & vehementer vrinam prouocat. Succus autem papaueris, quòd per ſe potus exitialis ſit, neminem latere exiſtimo: ſin autem cum alijs nonnullis ſit præparatus, ægrotos ita ſubinde iuuat, vt maxime ſalutiferum ipſis medicamentum eſſe videatur. Itaque Phreniticorum deliria haud raro ſtrenue curauit, ex peruigiliis virtute priuatos, ſomno reconciliato mirifice reſtituit. Iam ab araneis commorſos, ipſi aranei triti, & cum vino poti, malo liberant: vt hinc maxime poſsit quod à me dicitur, credere. Si nanque vel ſolum vinum feris miſtum à periculo reddit ſecuros, nimirum & Theriaca ex tot talibusq; confecta, ſalutiferum quoddam medicamen potius quã exitiale redditur. Illud enim in medicaminum miſturis fieri ſciendũ

eſt,

medicum Asclepiadem (nam ita permutatis solum nominibus pro indiuiduis, corpuscula, pro vacuo meatus dicens, similem illis rerum essentiam esse voluit) merito pharmaca manerent inalterabilia, quæ in nihil mutari, neque omnino suam ipsorum qualitatem, exuere possent. Sed quia sermo hic veritati repugnat, vt ostendemus, & omnia (vt dixi) alterantur, mutanturque facile, tũ mutuam inter se temperaturam suscipiunt, necesse est omnibus quæ miscentur, per tota contemperatis, validius imbecilliori præpollere. Cuius rei gratia nos artificialibus misturis, quum vsus postulat, qualitates medicaminum inalteramus: quod fieri non posset, si exigua quædam & impatibilia, immutabiliaque substantiæ corpora essent. Atque ideo iam sæpe ego sum demiratus, quo modo, quum in quolibet tam subitas fieri conuersiones, tantamque temperamentorum mutationem, viderent, sustineant deinde eiusmodi elementorum principia statuere, & præcipue iam citatus medicus Asclepiades, ad hunc enim peculiariter verba potius habeo: quoniã manifestiores etiam in corpore conuersiones, mutationesque non

indicat. Quid nanque sibi vult, quòd solo digito in frigidam, imposito, totius corporis mutatio actutum oritur, vel quòd prouentorum variatione corpora nostra simul mutantur? Ego itaq; ex familiaribus quendam noui in lecto adhuc decumbentem, ex capitis ipsius consensu venti statum cognouisse. Quũ enim capitis grauitate laboraret, statim ventum qui spirabat, Austrum esse deprehendit. Iam mulier grauida solo tonitru exaudito, & horribili quodam spectaculo viso, infantem eiecit. Interdum quum repente volumus auxiliari, & velocem præsidij sensum ægro moliri, celerrimam in corporibus mutationẽ fieri videmus. In quibusdam igitur virtute admodum dissolutis, admirandus ille Hippocrates subitam animi cõcitationem fieri consulit, vt incitationis robore, solutionis imbecillitati medeamur. Subinde etiam paucum aliquod oblatũ ipsis alimentum statim refocillat, viresq; eorum restituit, corporis mutatione, sicut opinor, statim vergente in melius, nõ autem corpusculorum quæ existunt impatilia, eoq; talium nobis sensus nequeũt imprimere. Quis enim in tãtillo tẽporis momẽto corpuscula cõposuerit

aut quis sic ex impatilibus cõstructus repente occurrentia perceperit? Etenim certa corpusculorum transpositorũ cõpositio, figuræ quidem solam efficit mutationem, cæterum alterationem, qualitatemque aliam ex alia generare neutiquam potest. Atque huius rei gratia puto virum non modo, quod in medicamentis fieri apparet, congruenter ob placiti consequutionem tollere, sed naturam quoque ipsam omnia in nobis dispensantem, nihil esse arbitrari. Singula enim quę nascuntur, ex corpusculorum compositione, & complexu fieri autumat. Quam ob rem etiam mirari mihi subit, quoties ad ipsum mentem dirigo, qui tam mirifica naturæ opera, potissimumque artes, quæ in ipsius hominis generandi initio fiunt, non videat, quo modo, quidem infans in vteri loco formetur, quo modo formatus jam dextrè nutritur, quot & qualibus vinculis tenerrimis ipsum ad maturum vsque partum intus continet, quali vero diuina arte & similitudine imaginem ingenerati efficiat: in qua re præsertim corpusculorum quoque hypothesis ipsius non citra dedecus coarguetur. Non enim solis partibus

ſed proauis etiam quibuſdam fœtus red duntur ſimiles. Porrò mihi vetus quædam hiſtoria indicauit, quòd cùm deformis quidam opibus potens, formoſum vellet procreare puerum, depinxit in lato ligno elegantem alium puellum, dicebatque mulieri inter coeundum, illam picturæ figuram inſpiceret. Hæc autem defixis intuens oculis, & (vt ita dicam) totam illuc mentem aduertens, in fantem non quidem patri, ſed picto ſimilem peperit, viſu opinor, naturæ, non corpuſculis quibuſdam, picti imaginem tranſmittente. Quoniam autem vir huiuſmodi naturæ myſteriorum imperitus eſſe corpuſculorum gratia ſuſtinet, & propter viſus obſcuritatem, incertitudinemque, ſuos ipſius diſcipulos tam mirificis operibus fidem accommodare non ſinit, ad externa ipſum, omninoque apparentia, traducere cogito. Quis nanque artes ab animalculo araneo factas inſpiciens, non credit etiam telam per dilucida adeo, tenuiaque fila, parari? vt etiam aliqui dicant texendi artem homines primum ipſi referre acceptam. Quis non adducitur, vt mirabilem quandam rem naturam eſſe pronunciet, ſi opus

vide

videat quod ab vrsa efficitur? Etenim hæc omnibus quæ generant animantibus, similiter parit: caro autem sola generata, informis & inarticulata est, nullam obtinens figuram: statim verò à parēte, naturali arte figuratur. Nanque lingua veluti manu quadam vtens, æditū fœtum effigiatum reddit. Verum contra hos sermonem finiam. Quippe consueui in cōtentiosis orationibus ceu freno quodam equum solito ferocius currentem, mensura sermonem ipsum valide coercere. At quum manifesto, vt animū induco meū, ostēderim, ne amplius tibi sit mirabile, easdem feras & perimere, & auxiliari, propter variam tum cōfectionem, tum misturam medicaminū quæ ipsis contemperantur, deinceps antidotum præparare aggrediar. Non enim ars est exigua qua confecturā ipsius molimur. Siquidem & dolus, quem in feris sæpe venatores ipsarum machinantur, & in aliis misturis præparantiū imperitia, inutile frequenter medicamētum effecerunt. Plerique enim ipsorum venandi artem volētes ostendere, & præsertim qui etiam medicamenta quędam ad res huiusmodi inuenire profitentur, habere quidem se medicamina mentiun

tur:haud enim vnquam nos,ipsos habẽtes inuenimus:dolo autem in beluis, videntibus imponũt. Primum ipsas haud congruo tempore venantes, sed multo post venationem, quum non amplius vigent. Captas autem ipsas crebro sibiipsis assuefaciunt, & cibis non solitis enutriunt, immo carnes ipsis permittentes, & continuè mordere cogentes, vt virus ex earum ore vacuetur efficiunt. Quinetiam offas quasdam obiiciunt, quæ dentium foramina obstruant, atque hac ratione morsus fiunt imbeciles, vt videntibus magnum sit miraculum, talis ipsorum ad fraudem parandam artificii imperitis. Simili modo etiã in pharmacis mistorum haud mediocris (vt dixi) est inscitia. Quid multis opus est? in optimis, quæ immittuntur, Casia dico & Cinamomo ipso, haud modica inuenitur differentia, & multos ex iis qui præparant, solet decipere. Nã quod vocatur cinamomum mentiens, verò simile est, nisi quòd gustu & odore longè sit inferius. Atqui xylocinamomum hac re differt, quòd lignosum sit, valida habeat virgulta, nec similem suaueolentiam præ se ferat. Porrò inter ipsius veri cinamomi genera aliud in monti-

bus naſcitur, non tenue, nec longum, magis fuluum colore: Aliud aliquantulum nigricat, & tanquam fibris quibuſdam intertextum: Aliud ad amuſsim album reperitur, non durum, ex facili fragile, parua radice. Eſt & aliud quod dam caſiæ rubenti ſimile, leue, & odoratum. Præſtantiſsimum omnium eſt, quod ab indigenis moſylon dicitur, cinerium colore, virgultis gracilibus, nodis frequentibus, vehementerque odoratum, quod etiam potiſsimum nos præponere conſueuimus. Eſt enim odore longè optimum, ſuauiſsimumque, & guſtu acrè nobis apparet, mordax admodum. Manſum, rutam præ ſe ferre videtur. Ad hæc, leue eſt, & facilè poteſt confringi. Caſia verò itidem niſi in diiudicando fueris expertus, frequenter ſolet imponere. Eſt enim & pſeudocaſia, hoc eſt mentiens caſia, mirum quàm germanæ ſimilis, ſed odore minus grato coarguitur, corticem medullæ adhærentem obtinens. Nam optima laudatiſsimaque rubeſcit, & roſam expirat, ſicut etiam dulcem guſtum præfert, fiſtulis plena, & vinum naribus obolens, & aromatum modo vehementer odorata: atque hæc zin-

giber ab indigenis nominatur. Iam verò in pipere oblongo dolos fieri te ignorare haud est verisimile. Siquidem nonnulli adulterantes ipsum æqualem cum germano pondus habens, pyrethri vel sinapi modico indito, ita gustus mordacitate gustantem fallunt. Verum in his exercitatus, & qui gratius in cibis, asperiusq; gustu nouit deprehendere: necnõ arboris radicem ei adhærentem curiosius inspicit, germanum piper inuenit, & falli ab ipsis nequit. Porrò quũ multa in aliis quoque vniuersis sit examinatio, quem ad modum in his pariter tibi percensui, ego sanè vel hæc ad libri cõmentationem sufficere existimo, ne sermo nobis fiat prolixior. Cæterum consuluerim singulis ipsis accuratè exploratis, medicamentum præparari. Nam vnius cuiusdam vitium interdum omnia subinde corrumpit. Scriptura autem ipsius, ne hoc etiam ignores, variè apud medicos inuenitur. Etenim Andromachus in medicamentis accuratus, cuius etiam prius mentionem feci, in hunc modum medicamentum præparauit. Pastillorum Theriacorum drachmas vigintiquatuor: pastillorũ squilliticorum drachmas quadragintaocto: piperis

piperis longi, ſucci papaueris, vnguenti hedychroi, ſingulorum drachmas vigintiquatuor: roſarum ſiccarum, iris illyricæ, glycyrhizæ, ſeminis napi ſilueſtris, Græci buniada appellant, ſcordii, opobalſami, cinnamomi, agarici, ſingulorum drachmas duodecim: myrrhæ, coſti, croci, caſiæ, nardi, ſchœni, id eſt iūci odorati floris, thuris, piperis albi & nigri, dictamni, praſii, reu, ſtechados, petroſelini macedonici, calaminthæ, terebinthinæ, zingiberis, quinque folii radicis ſingulorum drachmas ſex: polii, chamæpyteos, ſtyracis, amomi, vuæ, meu, nardi gallicæ, ſigilli lemnii, phu pontici, chamædris creticæ, foliorū malabathri, chalcitidis toſtæ, gentianæ, aniſi, hypociſthidis ſucci, balſami fructus, gummi, marathri ſeminis, cardamomi, ſeſelis, acaciæ, thlaſpis, hyperici, ſagapeni, ameos, ſingulorum drachmas quatuor: Caſtorii, ariſtolochiæ tenuis, dauci ſeminis, bituminis iudaici, opopanacis, centaurii tenuis, chalbani, ſingulorum drachmas duas: mellis libras decē, vini falerni quod ſatis eſt. Porrò Xenocrates & ipſe non mediocri ſtudio in huiuſmodi verſatus, in reliquis ſanè Andromacho ſimiliter antidotum præpa-

rauit, solum verò pro quatuor sagapeni drachmis, duas medicamento commiscuit. At Damocrates præstantissimus ipse quoque medicus factus, integrum librum de antidotorum confectura versibus eleganter complexus, omnes misturas his similiter in medicaminis præparatione temperat: sed in simplicium mensuris ab ipsis discrepat. Nam quædam ex illis quæ illi singula drachmis quatuor medicamento iniiciunt, hic duabus sigillatim miscet. Contra quibus binas drachmas singulis temperant, ipse vnam drachmam immittit. Magnus, qui nostro tempore Archiatrus euasit, alia omnia sicut hi viri in confectura seruans, solo cinamomo ab ipsis euariat, nam duplicatum huius pondus, medicamento ipse adiungit, ita verò in chalcitide, ita quoque in sagapeno, ab Andromachi sententia discordat. Quippe duas drachmas veluti Xenocrates, in medicamentum cõiicit, quum Andromachus quatuor mittat. Verum in sagapeno Damocrati etiam refragatur. Etenim hic vnam drachmam, Magnus duas medicamento iniicit, augetq; vini mensurã. Quippe duos sextarios infundendum

censet,

censet, alijs vt vsus postulat, qualicunq; vini mẽsura vtẽtibus. Demetrius, qui & ipse nostra tempestate primarius medicus constitutus est, in omnibus aliis iuxta Andromachi sententiam medicamentum præparat, solo scilliticorum pastillorum pondere ab eo discrepat, & aliis vniuersis scriptoribus. Siquidem illi quum drachmis quadraginta octo mẽsuram complectantur, solus hic quadragintasex drachmas duntaxat antidoto admiscet. Nam quum tanta in scripturis sit differentia, nos Andromachi, tanquam præstantissima vtimur, & in regios vsus ita præparamus. Porrò confectura ipsius hunc in modum confit.

Etenim vtile tibi fore illam hoc sermone præparare censeo, vt si quando medici inopia, dexteritate ingenii præditus voles conficere, quamoptimè conficias: loco magistri præparationis, hunc sermonem habeas: Cæterum antè illam confectionem conueniebat etiam vnguenti hedychroi, quod ei inditur, scripturã pernouisse. est igitur laudatissima præparatio apud Magnũ hisce verbis expressa, aspalathi, radiculæ corticis, calami aromatici, schœni floris, phu, costi, asa sex, cinamoni drachmas

viginti quatuor, amomiri, xylobalsami, casiæ, singulorum drachmas tantun dem, amarici ℥.xx. nardi Indicę ℥.xvj. foliorū malabathri drachmas sex, myrrhę drachmas vigintiquatuor, mastiches drachmas sex, croci drahmas nouemdecim, excipiuntur vino falerno opobalsamum contangendo dum excipiuntur, finge pastillos, & in vmbra desicca. Simili modo squilliticos quoque orbiculos pręparare conuenit: sumitur squilla recens non admodum magna, oblinitur non (vt quidam volunt) luto, nam id sordidum esse mihi apparet, sed fermento. Nam facilè tenerrimo torrentur, vt interea nonnihil etiam ipsius assumat. Deinde, vbi probè in furno, vel in patinis, vbi panes coquuntur, vt æqualis fiat tostio, torrueris, sumptis interioribus ipsius partibus tenerrimis, læuigare diligenter oportet, erui quoque farina laudatissima, recentissimaq; pari portione admiscebitur, vt Damocrates præcipit. Nam Magnus dimidiā partem immittens, parum mihi admiscere videtur: Andromachus autē duas iniiciens portiones multum. Aequalis autem modus fingendis pastillis optimus est. Atque hac ratione trita cum

eruo

eruo squilla, orbiculos formabis medio cres, & in vmbra repones. Post hæc, viperæ ipsæ quæ ad totius confecturæ copiã sufficiant sumendæ sunt, nõ quouis tempore, sed potissimum veris initio captæ, quum latebris relictis foras in apricum prodeunt, & non adhuc virus tam prauum occupant. Intus enim delitescentes, quum nulla ex parte digeruntur, maligniorem etiam vim tabificam in se contrahunt: egressæ verò exuuium solent, sicut omnia serpentium genera, deponere, quod est crassissimum quoddam integumentum, tempore quo delituerunt contractum, atque tunc magis quàm animantis ætate senium existit. Quapropter non statim ipsas capere oportet, sed permittere aliquandiu & aëre frui, & consueto cibo vesci. Porrò vescuntur hæ feræ tum herbis quibusdam, tum animalibus, quibus assuetæ solent nutriri, cuiusmodi sunt buprestes, cantharides, & quas vocant pityocampas. Hæc enim idonea ipsarum sunt alimenta. Porrò erunt animalia colore subflaua, admodum robusta, collo valde prominenti, oculis subrubentibus, inuerecundis, ferinum cernentibus, ca-

pite

pite latiore, corpore & ventre crassiora, meatu ad extrema magis caudæ, quæ non inuoluta est, sed potius conuersa, incessu quieti proximo. Hac enim re fœmina à masculo differt: ad hęc quod caninos dentes duobus plures habeat, quem ad modum sanè & Nicãder hisce versibus dicit.

Masculus emittit, notus color, ipse caninos
Binos, perpetuò monstrat sed fœmina plures.

Et sanè hoc tempore capitis primum capita & caudas amputare quatuor digitorum longitudine conuenit, dum autem partes has abscindis, inspicere consilium est, num his amputatis, exanguia protinus, immobilia, prorsusq; emortua esse animalia videantur. Nam si tales offenderis bestias, nihil ad medicaminis mistionem conducere ipsas censeto. At si motum quendam in ipsis residuũ conspicias, tum sanguinem conseruare aliquandiu posse, has ceu præstantissimas antidoto præparandæ immittes, vt, quæ haud ignauam, exolescentemq;, sed validam ad seruandum vim habere appareant. Deinde tota adamussim cute ipsis detracta, adeps ceu nullius momenti

omnia-

omniaq; interanea, tanquam excremen torum receptacula eximentur: mox reliquum corpus in vas quoddam fictile quàm elegantissimè constructum, vel in lebetem probè extersum, splendidumq; indetur, ac prunę impositum, citra nidorem ex aqua fontis incoquetur sale recēti, cum mediocribus anethi nō aridi virgultis adiecto. Deinde carnibus iam benè coctis, qđ nimirum cognosces vbi spinæ ab illis soluuntur: & lebete ab igne deposito, diligenter carnes à spinis segrega tritisq; ipsis, panis quammaximè puri, & ex sincera facti similagine, quantum pastillis formandis sufficiat admisceto, quem ad modum etiam Andromachus autumat. Nam Magnus & Damocrates definitam quandam huius mēsuram ipsis adiungi volunt, æquali siquidem panis modo, æqualem carnium adiungentes, ita ipsas cum pane simul cōterunt. Posteà iusculi quod satis est affuso, pastillos mediocres confinges, atque opobalsami modico subactos, in vmbraq; repositos, ad totius medicamenti confectionem reseruabis. Reliqua contundi & cribro quàm licet subtilissimo cōcerni expedit. Nam leuia admodū insigniter iuuare mihi videntur, quòd cor

poribus

poribus facilius apponantur. Porrò quę conspergenda sunt læuigandaq;, hęc cō teres, & vino consperges, quod laudatissimum est falernum: non dulce faustianum, sed acre, & quod omnibus vocatur Actum. Deinde omnibus hūc in mō dum contritis, mellis quantum satis est adiicitur, erit autem satis, quem ad modum scripturæ continent, libræ decem discoctæ mediocriter, vt quicquid in eo cereū est, flatulentumq; in coctione separetur. Deligendū autē mel hymettion nuncupatum, quod apes probatissimū efficiunt, thymum hoc in mōte, cui nomen Hymetto, nascentem, depastæ, iam verò resinam, chalbanūq; seorsum prius eliquata medicamini in mortario sic ad iunges, ac deinde omnibus in vnitatem redactis, tritisq; diligenter, rursus manu in opobalsami modicum intincta, ita antidotum in vitreis aut argenteis vasis repones: non autem vehementer ipsa re plebis, sed relicto quodam spatio; quo medicamentū perspiret, adhæc frequenter operculū detrahes, vt & liberius exhalet, & maturior vsus tibi ipsius cōtingat. Quippe haud modico tempore ad concoctionem indiget, vt quando vsus postulat, antidotus probè sit cōcocta. cō

coquitur

coquitur autem plurimum duodecim annorum ſpatio: qui autem vigentiore ipſa,validioreq; vti volunt,etiam quinto anno &. ſeptimo exhibuerunt:præſertim in his qui à virulentis beſtiis, & à cane rabido commorſi ſunt, præterea in medicamentis letalibus. hi enim quum grauem ab eiuſmodi noxam acceperint, potentiore etiam medicaměti præſidio indigent. Eſt autem potens medicamentum ad vſque tringinta annos. Nam in illis affectibus,vbi tanta noxæ cauſa nõ eſt,ſufficere videtur,quũ vſus exigit, vel ſexagenarium.tanti enim ſpatij terminus admodum exoleſcens & imbecille ad opem ferendam medicamentũ reddit.Pleriq; igitur dum vim ipſius volũt experiri, primum medicamentũ quoddã purgans exhibentes, deinde nonnihil ex antidoto propinantes, ſic de ipſa faciunt iudicium. Si nanque valida, vigenſq;fuerit,neutiquã purgationem fieri permittit, ſua ipſius potentia medicaminis purgatorij efficaciam euincens, quòd ſi autẽ ita fuerit purgatus vt qui antidotũ nõ aſſumpſiſſet,liquido cõſtat vires eſſe inualidas, & vetuſtate confectas, vt ne quidem medicaminis virtutem ſuperare potuerit. Cæterũ mẽſura

ipſius potus in omnibus eadem non eſt, quem ad modum neque liquor quo ipſam exhibituri diluimus. Siquidem in prædictis auellanæ nucis magnitudine ex tribus vini cyathis dilutam, propinare affectis conſueuimus: in aliis autem vitiis & menſura, & liquore variè vtimur. Nam ad affectuũ differentiam ea adaptantes, tum medicamenti quantitatem metimur, tum congruum miſturæ humorem indicamus. Nõ enim ſolũ ad ferarum morſus, & letalia medicamina auxiliari ſolet antidotus, verum ad maximas etiam alias affectiones præſentaneum eſſe remedium, experientia ac vſu à nobis compertum eſt. Itaque Galenum ipſam in propoſitis verſibus Andromachus ideo arbitror vocauit, quoniã ceu ex quadam affectuum tempeſtate tranquillitatem quãdam, ipſam nempe ſanitatem corporibus cõciliat. Capitis igitur dolores lõgos & vertigines ſanare: ad hæc auditus difficultatem & oculorum hebetudinẽ ſedare poteſt. Non nunquam vero & guſtus inſtrumentum laborans reficit. Subinde in phreniticis mentis abalienationem generoſe ſomnum inducens ſedauit. Inſuper animi perturbationes & implexas imagines ſom-

ſomnis abigit. Comitialibus quoque ip
ſis vehementer ſolet auxiliari, copioſam
ex capite humiditatem abſumens, & li-
berum ſpiritui tranſitum efficiens. Iam
& ſuſpirioſos iuuat, quum craſſæ quæ-
dam pituitæ in pulmonis fiſtulas impa-
ctæ reſpirare hominem prohibent, pro-
pte diſſecans, vt facile egerantur, attenu
ansq; fixos viſcoſoſq; humores. Sangui-
ne reiicietes admodū iuuat, ſiquis ipſam
cū ſymphyto decoctā, dilutāq; aqua ex-
hibuerit. Sæpe ſtomachi vitiis mederi ſo
let, & nauſea laborantē, cibumq; non ca
pientē ſuauiter reſtitui, interdū etiā ap-
petitum ſine ratione intenſum, ex mor-
daci quadam & acri ſubſtantia ipſum in
feſtāte, mirifice repreſsit. Inſuper lumbri
cis inteſtina occupantibus, eoq; ſtoma-
cho inſatiabiliter cibum appetente: me-
dicamentum hoc propemodum eneca-
tos magna fame, feliciter liberat. Pręter
ea maximū latumq; helminthē genera
tum, id eſt lumbricum, qui omnē aſſum
ptum cibum depaſcitur, eoq; reliquū to
tum corpus emaciat, mirabiliter ab in-
teſtinis educit. Hepaticos quoque &
lienoſos ſæpe curat, obſtructiones aperi
ens, & iecinoris lienisque affectibus vti-
lis. Item arquatum ex aliquo ieco-

ris vitio orientem, ſtrenue perſanat, bilem expurgans, & veluti abſtergens, tum vt iecur bilem à ſanguine ad amuſſim ſegreget, efficiēs. Aliquādo lienes induratos ſoluit, paulatim ſordidā, ſuperfluamq; in eis ſubſtantiā abſumens. Cōterit & renum calculos, & quicquid terreū, ſordidumq; in eis continetur, facile expurgat. Veſicæ difficultatem ſedat, & exulcerationibus in ea ſubinde eſt præſidio, & difficilem ventriculi cōctionē imbecillitatemq; reficit, vētris corpus excalfaciens confirmansq;. Ad inteſtinorum vlcera, ipſasq; dyſenterias, & lienterias, eſt vtiliſsima: iliofis quoque & diuturno coli vitio obnoxiis prodeſt, præſertim quū inteſtina vacant inflammationibus, acres ipſorum humores cōſumens, & inteſtinorum flatus per vaporem diſcutiens. Eſt quum cholera affectis egregie conducit, corporis ſtatū corroborans, multasque fluxiones ſiſtens. porrò maximū ipſius opus ſæpe in cardiacis innoteſcit, quippe dum corpus multis copioſisq; ſudoribus diffluit, & robur ipſius diſſolutum eſt, neque vinum frequenter continere morbus poteſt, antidoti potio & ſudores ſiſtit, & virtutē collapſam veluti erigit, validamq;

efficit. Iam vero in mulieribus etiã men ses educit, & vteri sedisque hæmorrhoidas suppressas subinde aperit. Mirifice vero & immoderatas sanguinis, excretiones cohibere consueuit. Succurrat enim quod mista variaque ipsius facultas, quam in superioribus sumus interpretati, ideo alia diffundens, extenuansque cogat excerni, alia ob natiuæ virtutis imbecillitatẽ superfluo excreta, viribus partiũ confirmatis soleat inhibere. Quinetiã podagricos, omnesq; articularios morbos tunc potissimum adiuuat; quum augmenti tempus præterierit, & vigoris status accesserit. Nam dolores epithematis lenientibus mitigans, medicamentum propinabis, vt fluxiones cohibeat: quippe hæc antidotus iam infarctas digerit, & alias inuehi prohibet. Maxime prodest etiam sano, si frequenter eam assumat. Nam humorum super flua consumit, & totam corporis temperiem inalterat. Alia vero medicamenta quæ podagrici in morbi auxiliũ bibunt, ad pedes quidem humores ferri vetant, sed huius superfluitatem non discutientia, maiorẽ quendã morbum faciunt. Nam fluxione per corpus oberrãte, pulmo semper ob respirandi necessitatẽ mo

tus, ac propter corporis sui raritatem ad illam excipiendam facilis totam ipse ad se trahens, ita hominem suffocat. quod ego in multis contemplatus experientia didici, atque huius rei gratia omnino ab hisce medicamentis abstinere consuluerim. Theriaca vero in talibus vti etiam vehementer adhortor. Etenim humorum superfluitates exiccans prodest, & alias colligi non permittit. Plerique igitur initio assidue hac vsi potione, in totum ab affectu liberati sunt. Atque hac opinor ratione etiam aqua inter cutem laborantes, multum subinde adiuuit, dum humorem ipsos affligentem absumeret, & insitum calorem perfrigeratum excalefaceret, præsertim hydropas, quos anasarcas & leucophlegmatias appellant, insigniter adiuuare consueuit, in totum ipsos corpus distribuens, & vndequaque corporis humiditatẽ exprimẽs. Quapropter etiam prauo corporis habitui, quã cachexiam dicunt, optimũ est remediũ, vt quæ corporis habitum coagmentet, superflua digerat, naturam ad suas functiones fortiter obeũdas præparet. Hoc auxilij modo etiam elephanticis crebro succurimus. Nam quum multus humor

sit

ſit corruptus, cuius vis totam corporis molem putrefaciat, antidotus morbum ſolet euincere, dum fluxiones & ſanguinis corruptionem impedit. Ad hæc tetanicos haud raro perſanauit, neruos calefaciens, tenſiones ipſorum relaxans: quem ad modum etiam partium reſolutiones ſæpe curans, ſpiritu recreato in naturalem ſtatum reduxit, & motus particulis reddidit. Mirari vero antidotum licet, quum non modo ipſam corpus ægrotum ſanare conſpiciamus, ſed etiam animo ſubinde affectibus noxio poſſe auxiliari. Quippe vitia ex melancholia ſedat hoc medicamen continue exhibitum, ceu exhauriens exugensque atram ex vaſis & liene bilem, ſicut & beſtiarum virus: quare ad febrim quartanam potiſsimũ pulchre conuenit. Siquidem febris hæc ab atra bile oborta, prompte antidoto tollitur, præſertim ſi artificioſe ipſa vtaris. Ego igitur multos quartana laborantes, hoc præſidio facile à morbo vindicaui. Nam vomitu prius, ſecundum cibum ipſos vacuans: deinde inſequenti die abſinthij ſuccum exhibens, vt bilis edulceſcat contemperetur que, ita horis duabus ante ac-

ad quartana

modus exhibendi theriacam in quartana

cefsionem antidotum exhibeo, ac mirifice ipſam frequenter vidi proficere, vt protinus qui caperet, ſine morbi accefsione maneret, aquæ pauorem morborum peſsimum, hoc medicamentum ſæpe tollere conſueuit, & mirabiliter tantorum malorum concurſui reſiſtere. Non enim corpus duntaxat ipſis inareſcit, & conuellitur interdum, febriq; acri intus vritur, ſed animus etiam delirat & grauiſsimum ipſis affert ſymptoma. Quippe aquam timent, ac propter multam ſiccitatem humidi tenentur deſiderio, & à potu abſtinent, quia mente alienati id quod auxiliari poſsit, non cõfiderant. Fugientes enim aquam, pauentesque miſerrimo mortis genere intereunt. In quibus potiſsimum methodicos ſum demiratus, qui cauſas ad curationem eſſe inutiles dicant. haud enim ſcio quo modo his queant mederi, quũ ſimplex morſus exiſtit, & ſimilis à non rabioſo cane illato apparet. quem enim curationis modum ipſis indicabit vulnus corporis obiter inſpectum, nec interiore cauſa ab eis examinata, nec ipſorum oculis animaduerſa? A rationali autem medico ſola ratione, & diligenti examine adinuenta. Quamobrem qui in metho

methodicum male curantem inciderit miser, seu irrationalem quãdam & ipsum bestiam existentem, omnino moriturus est, merito per illius sectã occũbẽs. Quoniã ob dogmatis sequelam, causam inquirere non dignatur. Qui vero rationali medico feliciter inciderit, neque tã prauis symptomatis facile corripietur, & mortem propter illius artificium euadet. Nam huiusmodi medicus eo qui cõ morsus est, suscepto, statim accurate perquiret, qualisnam canis fuerit qui ipsum momordit. Si enim audieris gracilem corpore, siccum, oculis rubentibus, cauda demissa, spuma ex ore fluẽte: praeterea lingua foras porrecta, & tanquã bile colorata, obuiũ queq; insiliisse, citraq; rationem cucurrisse: deinde rursus subito consistentem, cum ira quadam magis furenti, nõ ipsi preuisos momordisse: haec inquã, si in eo sic habere audieris, statim rabiosum canem fuisse intelliges. Itaque vulnus haud simpliciter quem ad modum Methodicus curabis, sed con festim ipsum etiam amplius efficies, carne multo interuallo orbiculatim praecisa, ne facile ad cicatricem perueniat: sed foramen diu minimum quadraginta diebus patescat, vt per hoc

modis admirandum,laudo, qui luem il lam ex Aethiopia Græcos inuadentem non aliter curauerit quàm aëris mutatione alterationeq́;,ne talis amplius inſpiraretur.Quum igitur ignem per totam Athenarum vrbem incendi iuſsiſſet,nõ ſimplicem lignorum materiã, verũ ſerta floresq́; ſuauiſsimos alimẽtũ ipſius eſſe conſuluit, vnguentaque pinguiſsima &odorifera ipſi ſuperfundi,vt aerẽ purũ hoc modo redditũ, homines in mali ſubſidium reſpirarent. Simili ratione Theriacẽ,ceu ipſa quoq; ignis quidam purgatorius exiſtat,præſumẽtes in peſtifero aeris ſtatu neutiquã malo corripi ſinere nouimus,corruptis iam poſſe mederi,aeris inſpirati malitiam inalterantẽ,mutantemq́;,vt quæ corporis tẽperaturam infici magis prohibeat. Quapropter conſilium eſt,ob has tam repẽtinas aeris cõſtitutiones,aliasq́; noxarũ cauſas oboriẽtes,in proſpera quoque valetudine crebro antidotũ aſſumere,quo & externis accidentibus corpus reſiſtat: ac vbi iam fuerit affectum, illã inuenias propitiam.Quæ veluti bonam quandã temperiẽ ſalubremq́; ſtatũ corporibus inducit, dum humorũ ſuperfluitates abſumit, partes perfrictionibus emortuas

in repẽtinis aeris cõſtitutionibus.

recal

recalfacit, & infitã virtutẽ naturæ functionibus probe obeundis corrcborat. Quũenim natura fanitate fruitur, tunc etiam fine impedimento ventriculus cibos concoquit,ac venæ ipfos prõpte in fanguinem redigunt,iecur bilem ex facili fegregat,cor purum fanguinem fufcipiens, vniuerfo deinde, vt iam nutrire queat,corpori tranfmittit, excretiones ipfas moderatius molitur, recrementa corporis per totam refpirationem faluhriter digerit. Maxime vero in peregrinationibus antidoti potionẽ confuluerim,quum in frigido aere per hiemem, iter aggrederis: erit enim veluti falubre quoddãvifcerum indumentũ,quod illis pofsit non parũ præftare caloris. Iã vero ad animi prudẽtiã acrimoniãq; nó effe inefficacẽ ꝑnoui. Quippe fenfus valide fuo fungi munere efficit,mẽtẽq; vaporibus liberatã fubtiliorẽ reddit, Breuiter,totũ corpus ita ab iniurijs fecurũ facit, vt ne à deleterio quodã poffet infici. Nanque varia & tãtæ mifturæ medicaminis virtus,eiufmodi firmitatẽ ꝓducit,pręfertim quũ beftiarum miftura cõftat. Proditur enim, Mithridatẽ magnũ illũ bellatorẽ,nõ Theriacã,vt quę necdum effet,fed aliam antidotũ varijs

quo

quoque mifturis compofitam, ipfiusq; dictam nomine (Mithridatos enim appellatur) præfumentem, ob firmam corporis conftitutionem ex illa præparatam, nõ potuiffe veneno poto interire. Quum enim bellum aduerfus Romanos gerens, à Pompeio victus, in extremis medicamenti veneno fanus mori cogeretur, medicamento epoto, eoq; copiofo, ipfe quidem non interijt: filiæ autem, quæ ob eximium erga patrem amorem cum eo mortem volentes oppetere: eiufdem medicamenti potu fubito conciderunt. Deinde quum mortem ille obire ftatim nõ poffet, veneno propter antidotum præfumptam inefficaci, vocato quodam ipfius amico nomine Byftoco, iniunxit, ipfum iugularet. Atque fic pharmaci opus ferro abfoluens, mori ipfum violenter coegit. Vides igitur quantum efficaciæ ad firmam corporis habitudinem conciliandam variæ miftionis medicamina obtineant, & potiffimum Theriace ob tantã, vt dixi, beftuarum virtutem. Cæterum medicamen hoc meo confilio fumes proba fruitus cõcoctione nec cibis repletus. Mẽfura aliàs alia recte vteris. Interdũ enim fabæ Aegyptiacæ magnitudinem cum

duo-

duobus aquæ cyathis capies, vbi exiguũ ad concoctionem ipsius interuallum erit. interim vero auellanæ nucis magnitudine bibes tribus aquæ cyathis temperatum, cùm plus temporis ad pharmaci distributionem habiturus es. Porrò inspice & anni tempus, & regionem, vbi medicamentum assumes. Nam per æstatem neutiquam id capere consuluerim. Quippe statu aeris calido, etiam ex antidoto corpus longe calidius euadens, offenditur. atq; hoc mirabilis ille Hippocrates cõsiderans, medicamenti exhibitiones ante caniculę ortũ, & sub ea, difficiles esse tradit: quoniã febrim hoc potissimũ tẽpus hominibus aduehit. Quapropter & ætate florẽtibus, & multo naturali calore præditis, neque multum, neq; sæpe exhiberi medicamen est consilium. Quem ad modum ijs qui iam declinant, & plurimum: & crebro non ex aqua, sed vino magis assumi profuerit, vt corporis virtus iã emarcescens, & genuinus calor extinctus, refocillari, accẽdiq; ipsius possit beneficio. At in pueris omnino medicamentũ est vitãdũ. Quippe cuius magnitudo illorũ virtute maior sit, & corpus ex facili dissoluat, natiuum spiritum cito extinguat, quem

ad

ad modum ſanè & lucernæ flammã oleum igne copioſius adhibitum prompte extinguit. Ego itaq; ex hiſtoria memini puellũ aliquãdo ex intẽpeſtiuo antidoti vſu diſſolutũ. Etenim diuturna febri laborabat, gracilis admodum corpore, & viribus imbecillis, vt qui vix multa diligentia poſſet ſupereſſe. Quæ quũ ego ex medica ratione conſpicerem, etiam vehementer ipſi pharmacum dari prohibebam. Nam quidam eius curationi præfectus, qui videlicet patrem ſe eſſe diceret, & tyrannicam imperandi facultatem potius haberet, quàm ex ratione conſilium audiret, temere & violenter admodum me compulit vt infanti medicamentum exhiberem. Quod iam aſſumptum concoqui non potuit, fortius videlicet eius virtute qui ceperat. Verum totum ipſius habitum diſſoluit: aluumq; fecit profluentẽ, atq; ita propter irrationalem medicamẽti vſum, noctu infans perijt. Porrò ſi in calidiore nõnunquã verſeris regione, caue medicamine vtaris, aëris caliditate illic ſufficiẽte. Qua de cauſa etiam hominibus primo ſolis ortu degẽtibus, & multa inde ſiccitate præditis medicamentũ eſſe mihi videtur incongruum.

in calidiori regione ne: gat theria

De

DE SALIBVS THERIACIS

Præparantur & ſales quidam ex his beſtiis. Nam illorum etiam meminiſſe neceſſarium mihi viſum eſt, quo nihil in libro deſideretur. Faciunt iidē ad omnia prædicta, modice longoq; temporis ſpatio præſidiū præbere habiles, frequē ti autem vſu paulatim adiuuantes, quo circa pleriq; ex ijs qui vtuntur, vbi non velox ab eis pręſidium ſentiunt, nequaquam poſſe opitulari arbitrantur, maxime quia igne corpus ipſorum in cinerē redigitur, dicentes auxiliatricem eorū virtutem per vſtionem euaneſcere. Ego quidem aſſero ſales, etſi vim theriacæ imparem habeant, non tamen omnino robur opitulatoriū in eis obliterari. Multa ſiquidem ignis commercio redduntur meliora, interim latentem ipſorum naturam in apertum ædunt. Nonnulla vero ad quem volumus vſum accommoda efficiuntur. Aurum itaq; per ignē iudicamus, & adulterū igne coargüitur: atque flamma exacte purgatum, probū eſſe apparet. Iam ferrū igne molleſcit, & flexū nobis ad multos vitæ vſus habile eſſe videtur. Nunquid etiā plurima quæ in corpus ingerūtur, nutriēdis nobis ignis beneficio reddūtur idonea?

Panis

Panis ſiquidem & reliquorum animalium,& piſcium carnes crudæ adhuc appetitus vſui ſunt inutiles,coctæ, tunc etiam corporum alimenta fiunt. iam vinum ipſum ſtatim ab vuis expreſſum, crudum incoctumq; eſt: ſolis autē æſtu coctum, tunc & ſuauiſsimum & maxime potabile redditur. Porrò multa in arte medicamina quandiu veterem ipſorum naturam retinent, acerrima eſſe & corporibus inimica,experiētia docet: demita vero ignis neceſsitate curationi fiunt cōgrua.Itaque chalcitis, cruda quidem corpora vrit, atque facile cruſtas excitat:cocta vero,cicatricem vlceribus inducit. Itē lapis phrygius crudus, acerrimus eſt:ignit' autē,& cū alijs quibuſdā tritus,præſens fit oculorū remediū.Spongiæ combuſtæ cinis ſanguinis fluxionē,potenter inhibet. Idē mihi etiam in theriacis ſalibus fieri apparet. Omnia enim ſola combuſta,ac integræ accenſæ beſtiæ prauam vim corporibus inditam ex vſtione deponūt, & ab igne auxilij ſymmetriam ſortiuntur. Peculiariter autem & maximè ſales medentur affectib' ſumma in cute obortis,leucis dico,lepris, impetigini agreſti. nam ſuperfluitates cuti ſubditas acresq; po-

tiſsimum diſcutiunt. Plurimi igitur ipſos manducantes, ſudoribus largiter diffluentes, corruptam vacuant ſubſtantiam, vt pedúculos quoque vocatos, quoſdam ex corruptione proprie naſcentes eijciant: quos ideo, ni fallor, Græci phthiras appellant. Dentes optime abſtergũt, & flaccidas partes denſant, fluorem ipſis illabentem reprimunt, à putrilagine reſeruant, erodi ipſos nõ ſinunt. Hũc in modũ præparantur. Conabor enim tibi rurſus horum quoque confecturam ſermone deſcribere. Viperæ prędictis ſimiles, & eodem tempore captæ, numero quatuor, non biduo plus poſt venationẽ, ſumuntur: verum ſi fieri poſsit eo dẽ die, quo ſunt captæ. Deinde ſalis ammoniaci, ſin minus, cõmunis, colore albi, & leniter ſplẽdeſcẽtis, modius Italicus, mox cũ ipſis tunditur minutatim Gẽtianæ creticæ libra vna ſemis, Ariſtolochiæ rotũdæ libra vna ſemis, Cẽtaurij tenuis comæ libræ duæ, Cardamomi, praſij, ſingulorũ vncię ſex. Scordij mõtani, Selini, chamędryos creticæ libra vna rutæ ſatiuæ ſeminis libra vna. Melle attico hæc vniũtur, & ſelibra ipſorũ in ollã fictilẽ vacuã cõijcitur. Deinde quatuor ſerpẽtes viuæ, mox ſquillæ teneræ, &

veh

vehemẽter recẽtes quinque minutim cõcidũtur, ita reliqua aliorũ pars dimidia adijcitur: ac vbi cooperueris ollam, lutoq; diligenter obliueris, quatuor ipsam foraminibus aperies, vt per ea vapor coctionis mensuram indicet. Nam primum fumus exire videbitur copiosus, obscurus, admodumq́; turbidus, notãs ignem iam bestias inuasisse: quando te animum quoque diligenter aduertere moneo, ne tãdem huius fumi aerem ex viperarum exhalatione infectum inspires. Postea vbi vapor cessauerit, & tenuẽ quandam flammam per foramina eijci conspexeris, tunc ipsa cocta esse quam optime censeto, atque ita ollam de igne tollito, tota die & nocte refrigerans.
Deinde apertos exẽptosq́; carbones diligenter tundito, & cum hisce misturis, cribrato, rutæ agræstis seminis, hyssopi cretici, singulorum vncijs nouem, fœniculi seminis agrestis, nardi gallicæ, stachios scythici, singulorũ vncijs sex, petroselini macedonici vncijs quatuor amomi vuæ vncijs tribus, origani heracliotici summitatũ vncijs nouẽ: hormini seminis torrefacti vncijs tribus thymi attici summitatum vncijs nouem, malabathri Indici foliorum vncijs quatuor,

baccarum iuniperi laconici carnis libris duabus, coriandri satiui seminis vncijs sex, piperis albi & nigri singulorum libris duabus, silphij radicis vncijs decē, zingiberis non forati libris duabus, satyrij seminis vel radicis, pulegij mōtani, seselis massaliotici rufi, tortili, montani seminis, mēthę, singulorū vncijs sex, cassiæ optimæ vncijs duabus, cinamomi vncia vna. Conare autem ipsa contusa cribrataq; rursus contundere, & cribro frequēter incernere, vt ad amussim fiāt læuia: atq; sic in vasis vitreis reposita non statim vsurpare conuenit, sed post decē ferè dies. Porrò ego ipsos præparaui bestijs nō combustis, sed ipsarum pastillis quē ad modum in theriaca ostēdi confici, miscēs ipsos quoque ijs quę cū beluis comburuntur, vt quam habeant in se † amarulentiam, eam in adustione deponant, tanta pastillorum mensura adiecta, quantùm viperarum numerum habere coniecturabam, & facti sunt longè præstantissimi: nec cinerium ex adustione referentes, neque colore nigri, sed etiam qualitate vsu suauissimi redditi, & vires ad quæ dixi peculiariter ipsos facere, euidentiores obtinentes. Hic est de theriaca & salibus theriacis liber,

Qualitatē ait græcus codex.

dili

diligenter, si quid iudico, à me examinatus, hac maximè causa, quoniam & tu in omnes disciplinas studiosè incumbis. Memini enim te quum literarum studiis egregie inter ciuilia adhuc negocia vacares, vel dicto quodam problema te iudicare scriptores nonnunquam deficere, multasq; conari occasiones inuenire, atque hoc agitare. Etenim deos aiebas dum non vaticinantur, nihil eloqui, interdum verò etiam oracula silét. Est quum & mare tempestatibus nauigari non potest, agmina fluuiorum sistuntur, & paulo post rursus fluere incipiunt, item terra fructus non vbique producit, quare tuum ego exemplum imitatus, nihil ex his quæ de theriaca quæruntur, omisi: simulq; te adhortor, vt libenter pharmaco vtaris, quoniam lõgæuum vitæ tempus vsum ipsius exhibere obseruatum est: quod merito, vt tibi à Diis contingat, exopto.

*

GALENI LIBER DE THERIACA AD Pamphilianum, Ioachimo Camerario interprete. Nuper ad exemplaria græca diligenter castigatus.

QVæſiuiſti ſæpe ex nobis, clariſsime Pamphiliane, cũ rationem componendi, tũ vſum Theriacæ, antidoti audire, quumq; ea quæ ex tempore venere in mentem vt tibi exponeremus, neque retenta à te memoria, neque à nobis ſatis explanata fuiſſe exiſtimem: nunc ocium nactus, illis ad memoriam reuocatis, quæcunque, dũ Romę verſarer, pręceptores cognoui meos huius ope medicamẽti obtinuiſſe in ſanationibus, vel ipſe ſum feliciter expertus. eaq; in vnum collecta tibiq; dedicata, mittere operæ pretium eſſe duxi. His attexui & modum & tempus & morborum diuerſitates, quando, & in quibus vtiliter illud vſurpãdum videretur. Admodum enim illiberale & ruſticum arbitratus ſum celare ſi quid ad ſalutem

maxi-

ximè conferat:qua in vrbe omniũ principe degẽtes gloriantur & merito, quippe quod priuatim beneficio, & publicè ornamentis afficiantur ex operibus quę vt ciuitati prouideant, ad communem vtilitatem præparantur. At vero & omnia oppida Cretensium satis constat dexteritatem bonitatemque ingenij tui non solum venerari, sed diligere quoque. Quid de Aegypto, deq; regia vrbe memorẽ? vbi tot sunt tibi vni Cretensium amici, quod non aliis vniuersis. Qua de re sæpe subit mirari quàm consentiens fortuna nomen tuis cum moribus tum naturæ, quasi prouidentia quadam amoris erga te omnium, imposuisse tibi videatur. Potes autem tu facilè parare magnam copiam antidoti huius multorum opera, Sed nos tibi verum & appositum vsum indicabimus, hac re testaturi studium & beneuolentiam erga te nostram. Vt autem nihil ex hoc plus habent qui tibiis citharisve abundant, nescientes vti: ita & antidoti, & quicquid præterea est medicinarum nihil prodest possessione sua, si vsu deficiatur. Quod si, vt vulgo fertur, valeret antidotus hæc aduersus tantũ virulẽtarũ bestiarum morsus, & venenata pocu-

la,poterat domi perinde ac precioſum quid repoſita,tempore & ætate euaneſcere, raro videlicet re vſum illius poſtulante:cum autem & ad illa, & inſuper ad ſenectutem placidam conſequendam, & longam vitam & ſenſuum integritatem & valetudinem tuendam poſsit plurimum,neq; adeo in præſentia tantũ moleſtos profligare morbos ſed etiã in poſterum euenturos,auertere,par, vt opinor,fuerit,ne ſanos quidẽ negligere beneficium huius medicinæ,magis optantes prorſus non incidere in morbos,quã correpti illis liberari.Proinde multi Romæ opibus & potentia florentes, lunæ prima die hanc medicinam vſurpãt: alii quartam eligunt, antè per tres dies vt probè concoquant, operam dant, & alui cura habita, hora diei tertia bibũt dilutum ex hac tantum, quantum magnitudini fabæ græcæ reſpondeat, in cyathis aquæ calidæ duobus, affuſo cochleari vno mellis,nõ quo alicuius morbi malũ repellant, ſed potius ne quo in futurum corripiantur. Neque eos opinio ſpeſq; fallere ſolet.Bonum enim hęc ſanguinem reddit, non quidem malitiam illius purgans, ſed eius contumaciam corrigens in amicam qualitatem vertit,

vertit, qualitate præter naturam deuicta. Iam cùm incidit, vt iter faciendum illis sit, hac contra suspiciones; aut loci, aut aquarum insalubrium corporis habitum communiunt, non aliter quàm salutaribus armis quibus à noxa defendantur. Meorum quidem magistrorum natu maximus, vir nemine inferior pręstantia artis & animi æquitate, Aelianus Metius, affirmauit aliquando cùm Italia pestilentia laboraret, multique mortales subita vi morborum interirent, perterritis autem cum medicis, tū aliis principibus ciuitatum, neque medicinis proficientibus quicquam, se theriacæ solius remedium authore vsurpari cœptum: quod qui iam ægroti hausissent, eorum conualuisse aliquot, sed & nonnullos periisse. Verum quotquot sani adhuc illo essent vsi, eos non solum discrimen, sed etiam sensum mali effugisse. Neque mirum sanè hoc videri debet: si enim hausta potum iam venenum superat, nimirum & corruptum aërem emendabit, neque sinet iniuriam & vim afferre vitæ mortalium. Quod ipsum fugere non vulgus tantum, sed medicos etiam quosdam non est quod mirere. Conficitur enim hæc antidotus

ad pestem

ex ſuccis,liquoribus,radicibus,floribus, ſeminibus,carunculis. Vt igitur vniuſcuiuſq; horum tempore,ita ipſius etiam ex omnibus compoſitionis vires euaneſcere ſolent.Itaque hac ſuſpicione adducti qui medicamenta venalia habent,callidioresq́; ſunt,inueteratam hanc vel venum dant,vel donant etiam amicis.Ipſi autē cum vſus poſtulat recentem,efficacēq́; promūt:nequit enim fieri quū illis dum opem ferunt,res ex voto ſuccedat. Atque ego tibi definiam etiā & tēpora & morbos,quibus & ad quos proſpero cū euētu adhibere hanc medicinā poteris. Nā quos vipera momordit,aut anguis,aut coluber,aut rabioſa beſtia,&vt dicā ſemel,quos virulēta bellua aut momordit,aut punxit,aut afflauit,his apta omnibus fuerit admodū illa adhuc recēs.Recētē autē intelligi volo ad annum vſque trigeſimumſextū. Eadē valebit & cōtra omnia venena. Sed hanc ætatem ſupergreſſa,accōmodata fuerit alijs morbis,de quibus mox memorabimus,cum numero prædicto non fuerit multorum aliorum annorum facta acceſsio. Eſt autem efficacis huius medicinæ vel ſecus, probatio,ſi quis medicamentum alicui det quod aluum, vel quod vomitum

moueat,vt elleborum, aut ſcamoneam, aut quicquid validiſsimum eſſe crediderit, non ſecus ac ſi aliquem purgare vellet,moxq́ue illi tantum huius antidoti exhibeat, quantum eſt fabæ egyptiæ magnitudo. Nam non modo is non purgabitur, verum neque vllum habebit purgationis ſenſum,quod ſi ſecus fiat, ſciendum antidoti bonitatem tempore diminutam fuiſſe. Solet autem adminiſtrari cum venenum hauſtũ eſt,aut virulenta aliquem beſtia læſit in vini cyathis tribus magnitudine nucis ponticæ,ſiue quis accepto malo vti, ſiue in ſuſpicione & metu præmunire ſeſe voluerit. Eadem eſt ratio, cum quis ignota de cauſa,tanquam venenum hauſiſſet in periculum venit interitus? Eadem nouam pariter ac inueteratam tuſsim ſedat, & pectoris laterumq; dolores: daturq; tum magnitudine fabæ egyptiæ ſub noctem, ſi quidem febris abſit; in mulſo: ſin adſit, in mulſa aqua:prodeſt & ſtomachi inflationibus & torminibus, & colo: & tunc datur in aqua magnitudine eadẽ,mané. Hæc & appetitionem cibi nimis geſtientem coercet, & iacentem excitat: denique omnibus in rebus ac partibus naturalem

ad pectoris laterumq; dolorē

ad ſtomachi affectus.

conue-

conuenientemq́; modum instaurat. Datur autem ad hæc quoque tantundem in aqua aut diluto, non amplius tribus neque minus duobus cyathis. Atq; hoc modo data frigus & tremores febrium dispellit, & gelu extremarum partim in corpore, & biliosam vomitionem in febrilibus accessionibus quę ipsa & interdum in paroxysmis durat. Quod si quis ter aut quater ante significationes quas dare febres solent, assumpserit, penitus illas excluserit: si tamen victus ratio non fuerit contraria bonitati huius. Nullum enim est tam potens remedium morborum quod præstare eam quam pollicetur opem possit, si ratione victus, aut non adiuuetur, aut cōturbetur. Creditur etiam mulieribus hac antidoto menses ciere, & educi fœtus mortuos, quos natura sæpe est imbecillior, quàm vt annitens etiam proferre valeat: tuncq́; datur ex passo vel aqua mulsa, in quibus antè bullierit dictamnus, aut ruta, magnitudine itidem fabæ ægyptiæ, quod ciborium, aut cithe vocant Aegyptii. Vtilis est & aquam inter cutem & morbum regium patientibus in decocto asari. Hydropicis, vt quibusdam placet, antè cibum, sunt qui o-

xycrati

xycrati diluant, cyatho vno: ita ad extinguendam sitim redditur efficacissimum, & totum corporis habitum firmiorem facit, & abundantes humores minuit, atq; naturalem siccitatem reducit. Reuocat hæc & interceptam vocem, cum hausta sola, tum retenta sub lingua. Sed quando in potu datur, admisceri tragacanthes duplum, dariq́ue ex passo vel mulsa, sub lingua verò retenta paulatim liquari debet, vt fit de arteriacis remediis. Vtilis est & ad sanguinis sputum, siue ex pectore, siue pulmonibus sanguis reiiciatur. Sed recenti malo datur in oxycrati tribus, inueterato in aquæ totidem cyathis. Fit verò efficacius multo, si detur in decocto herbæ quæ symphytos nominatur, sumiturq́ue manè & vesperi magnitudine fabæ Aegyptiæ. Romæ etiam vidi præceptores meos in ita affectis vti medicamento ex subere, quæ efficax est cura, Græci τὴν διὰ φελλῶν δύναμιν vocant: cuius plexus, si videbitur, opportuniore tempore tibi describemus, atque ita circũ vbique delibuto pectore, larga hac antidoto, haud ferè non sustulisse malum scio. Conuenit hæc & ex renibus laborantibus, & ex intestinis qui dysenterici dicuntur,

cuntur, & qui calculis vexantur & anhelatoribus: itemq; quibus circa iecur aut lienem durities extitit, aliudve inueterauit malum. Datur autem ad duritias cum aceto mulſo, idq; cōfici de fauis debebit, quod ipſum laudauit, vt cōueniēs, Hippocrates quoque. Anhelātib' datī ferè ī aceti ſquillini cyatho vno & dimidio. Ad calculos cum decocto petroſelini aut apii: laborantibus ex renib' in mulſo: dyſentericis cū decocto rhu ſyriaci. Iā in comitiali morbo, ſi ſanguinis exundātia nō ſit, ſumiť ex aqua mulſa: ſin exundet ſanguis cum ſpiſsitudine, ex aceto mulſo. Inueniūtur & non ignobiles medici, qui hunc patientibus morbum prius gargariſmos præcipiant cū ſinapi, deinde ſub noctem adminiſtrent hanc fabæ græcæ magnitudine in aqua. Atque, vt dicam ſemel omnia, vbi nihil aliorū remediorū prodeſt, ſuperāte malo opem medicinæ, ibi admirabiles cognoſcuntur huius antidoti vires. Itaq; & cholericis magnitudine doloris pereuntibus, & cardiacis extremum penè ducētibus ſpiritū, reſtituit ſæpe iam quaſi renatis vitā. Sed nec fieri profecto poteſt, neque cōueniēs videtur omnia perſequi enumerādo, maximè cū ab his quę expo-

expoſita ſunt, facilè cuiuis in prôptu futura ſint reliqua omnia, in quibus attẽtione animi adhibita, proſpero hac antidoto ſucceſſu vtaſ. Quare illos quoq; qui ampliores huius laudes moliũtur, dimittamus, ꝙ ei circulares potius quã medicas pollicitationes attribuãt, à quibus etiam hæc afferri ſcimus. Hãc ad auriũ quoque dolores & auditus grauitatem facere, & caligines, & vuluã, & oris vlcera quæ ἄφθαι dicuntur. Tali.n. laudatione magis antidotus hæc vituperari quã honeſtari videtur: etenim horũ ſi ſunt vilia multa remedia quibus nõ paulo rectius vti poſsis, ſuperuacaneũ fuerit tam precioſum hoc minore ſpe etiã propoſita experiri. Nunc deinceps & cõfectionẽ huius exponemus, quæ ipſa nouvulgarẽ requirit diligentiam & ſedulitatem, de qua Menecrates nihil explicauit. Quia vero aſſumit hedychroi quoddam magma, itemq; orbiculos ſquillinos & theriacos, ante omnia horum compoſitiofitionem trademus.

Hedychroi confectio.

Radicis aſpalathi corticis: calami aromatici, coſti aſari, xylobalſami, phu, amaraci, maſtiches, ſingulorum drachmas ſex: iuncti florum drachmas duodecim

decim, cinnamomi drachmas duodecim amomi, casiæ, rha pontici, singulorum drachmas quindecim, nardi indicæ, foliorum malabathri, singulorum sexdecim: myrrhæ, croci, singulorum duodecim. excipe hæc falerno vino, & in fingendo inunge opobalsamo, & siccentur in vmbra.

Orbiculi squillini.

Squilla circũlinatur luto, & ponatur in furnum balnearium subiecto igne, postridie eximatur, & repurgatur à luto circumlito. Huius capiantur drachmæ CXX. erui farinæ addantur drachmæ LXXX. atque ita terantur, & in orbiculos siue rotulas redigantur.

Orbiculi theriaci.

Viperæ flauæ quatuor aut quinq; accipiantur, quæ si sint recenter captæ melius erit, nam inclusæ diutius virulentiores fiunt, quod de ieiuno homine potest intelligi. Illis præcidatur caput & cauda spatio digitorum quatuor, pellisq; detrahatur, & interanea eximantur. Ita quod relinquitur coquatur in olla cũ anetho: postea carnes coctæ spinis cura & diligentia expugentur. Tum panis nitidi & arefacti, æqualẽ ponderis atque carnium fuit, accipiatur, vnaq; cum illis

teratur

teratur accurate, & cum opobalſamo finguntur rotulæ & ſiccantur in vmbra. Eſt autem antidoti, authore Andromacho, à quo inuenta & nominata eſt Galene, confectio talis: à quo accepta, à poſterioribus Critone inquam & alijs illius tēporis, vocata Theriaca, fuit propter miſtionem carnis viperinæ.

CONFECTIO ANTIDOTI.

Orbiculorū ſcilliticorū drach. xlviij. theriacaliū, hedychroi, cinnamomi, piperis nigri, opij, ſingulorū drach. xxiiij. iridis illyricæ, glycyrhizæ, opobalſami, roſarum aridarum, ſcordij cretici, ſeminis buniadis, id eſt rapæ agreſtis, agarici, ſingulorum drach. xij. croci, myrrhæ, zingiberis, rha pontici, radicis quinq; folij, calamēthi, marrubij, petroſelini, ſtœchadis, coſti, piperis albi, ſingulorum drach. ſex, dictamni cretici, florum iunci, thuris maſculi, terebinthinæ chiæ, caſiæ fiſtulæ nigræ, nardi indicæ, ſingulorum drach. ſex, florum polij cretici, ſtyracis, ſeminis apij, ſeſeleos, thlaſpeos, ameos, chamædryos, chamæpityos, ſucci hypociſthidos, malabathri, nardi celticæ, radicis gētianæ, aniſi, mei, ſeminis fœniculi, lemnij minij ſigillati, chalciteos vſtæ, amomi, acori, fructuū

balſami, phu pontici, hyperici, acaciæ, cardamomi, gummi, ſingulorũ drach. quatuor, ſeminis dauci, chalbani, ſagapeni, bituminis, opopanacis, caſtorij, cẽtaurei tenuis, ariſtolochiæ, ſingulorum drach. duæ, mellis attici, libras decẽ, ſed alij malunt ſex, alij quatuor, vini falerni ſextarios duos. Horum igitur omnium in pila contunde, ſuccũ hypociſtidos, myrrham, ſagapenum, glycyrhizã, ſtyracem, acaciam, opopanaca, & paulatim inſtillans mel commiſce, tum vinum affunde in quo illa ſubmergi poſſint, & macerato diligẽter dies tres. Tũ cinnamomum, crocum, caſsiam, ſpicã, thlaſpi, malabathrum, ſigillum lemnium, chalcitin, & eam quidem vſtam, nam vſta artificioſe hæc colorat antidotum, amomum, bitumen, caſtorium inciſum, & cribratum, tunde in mortario & contere, ſicut collyria ſolent cum vino. Poſtea illa ſuperiora commiſce cum his omnia, & cũ vino reliqua arida trita, quę in mortario ſunt in pilam tranſfunde, commiſcendo omnia diligenter, atque vinum infundendo tempera: deinde mel, reſinam, chalbanem, opobalſamum liquefacta in olla cum illis confunde & permiſce. Quo facto in vaſculo

lo ſtanneo aut argenteo ad vſum ſerua antidotum. Criton etiam hoc monuit, venandas beſtias in fine aut veris aut vindemiæ, & eligendas grandiuſculas & corpulentas, coquendasque cum anetho tantum. Carnibus autem viperarum decem admiſcendas cenſet ſiliginei panis vnciam vnam, atque ita fingendos orbiculos. Scillam autem vult legi tempore meſsis, quo maxime ſint plenæ viribus.

GALENI DE ANTIDOTIS LIBER PRIMUS, IOANNE GUINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

MEDICINAS quę non extrinſecus corpori impoſitę, ſed intra ipſum aſſumptæ affectibus medētur: Antidotos medici appellant. Tres autem in vniuerſum differentiæ ipſorum habentur. Nonnulla ſiquidem letalium medicamentorum gratia offeruntur: quædā ad virulētas, vt dicūt, feras proficiūt: quædā affectibus ex prauo victu oboriētibꝰ opitulātur. Sūt quæ tri

plicem promittant vſum, quem ad modum etiam Theriace nuncupata, quæ ſanè ab Andromacho medico eſt cõpoſita. Eiecit autem ex hominum vſu Mithridation dictam, quæ & ipſa ab authore ſuo id nominis accepit. Nam Mithridates hic, quem ad modum & noſtræ tẽpeſtatis Attalus, omnium prope ſimplicium medicaminum experientiam habere ſtuduit, quæ letalibus aduerſantur, vires ipſorum in facinoroſis hominibus qui morte damnati erant, comprobans. Quædam igitur ipſorum phalangijs peculiariter conuenire deprehẽdit, quædã ſcorpiõibus, ſicut viperis alia. Ac innoxijs medicamẽtis, alia ad Aconitũ, alia ad Leporẽ marinum, alia ad aliud quippiam atque aliud conducunt. Quibus omnibus contemperatis, Mithridates vnum confecit medicamentum, ſperans ſe aduerſus omnia letalia habiturum præſidium. Poſtea Andromachus Neronis primarius medicus quibuſdam adiectis, quibuſdam vero ademptis, Theriacen dictam Antidotum præparauit, haud exigua viperarum carne, quã Mithridatica non habebat, alijs admiſta. Atque hoc nomine Theriace ad viperarum morſus præſtantior quàm Mithridatica

datica vocata exiſtit. Ad alia vero Mithridatica nihilo minus valet: ſed eſt in quibus etiam prꝗſtantior inueniatur. At non eaſdem vires obtinent Antidoti, & poſt noxia medicamenta, & ante eadem aſſumptæ. Quæ enim magnitudo ipſorum cum præſumuntur, ſufficit vt hominem illæſum cuſtodiat, ea quadruplo aut quintuplo aucta, cum poſtea datur, adiuuat: idq; nō ſemel quotidie, ſed bis. Verum ſi quis vel ſingulis diebus, quē ad modum noſtro ſeculo Imperator Aurelius Antoninus, vel vt ipſe Mithridates, medicamentum capiat, omnino à letalibus & deleterijs appellatis medicaminibus erit ſecurus, & immunis: ſicut aiunt etiā Mitridatem ipſum, cum exitioſo medicamento potius interire, quàm Romanorum imperio ſubiici maluit, nihil inueniſſe, quod ipſum potuerit interimere. Quæ iam Mithridati acciderunt, audimus. nos autem ipſi nouimus Antonini tempore, qui primum Theriacen in ſui tutelam præparās, quotidie Aegyptiæ fabæ inſtar aſſumebat, vel citra aquę vini vel miſturam degluti ens nonnunquam eiuſcemodi aliquid commiſcens. Quum autem graui ſopore premi ipſum in quotidianis actio-

dosis præsu- / pro præservatione · assu- / pro ueneno / quadrupla / aut quintupla / danda.

nibus contingeret, papaueris lachrimã ademit. Rursus quum accideret, vt propter consuetudinem pristinam, ceu qui siccioris temperamenti naturam haberet, & ob desiccans medicamentum à longo tempore oblatum, bonam noctis partem insomnem transigeret, coactus est etiam ex eo quod lachrimam papaueris habet, iam inueterato, adiicere. Dictum nanque subinde iam mihi est, eiusmodi medicamenta vetustate mitiorem ipsam lachrimam obtinere. Erat autem tunc Imperator ob bellum Germanicum in locis prope Istrum, me pro fectionẽ illam auersato. At quum Antidotum ab Demetrio Archiatro compositam laudaret, post mortem ipsius literis ad Euphratem catholicum, à quo ad compositionem apta simplicia medicamenta accipiebat, missis, vt indicaret quisnam compositionem imperialem parentibus affuisset: quunq; intellexisset me semper quotiescunque ille eiusmodi compositiones confecisset, astitisse, præparari antidotũ à me iussit. Sed quia hæc solũ ei placuerat, Romam profectus inquirebat, quanam simplicium medicamentorum commoderatione conficerem: ac ego verum ei confessus

sum

ſum: nam nihil etiam minimũ vel reliqui vel adieci his, quæ ex veteri conſuetudine aulici medici immittunt: cauſamque oſtendi propter quam potiſsimum illi noſtra confectio placeat, de qua in pręſentiarum dicere inſtituens, eorum quæ tunc geſta ſunt commemini. Nam Antonius, vt qui ſingulis diebus medicamentum † vnà cum mellè copioſo aſſumeret, exactisſimè & malitiam eius & virtutem dignoſcebat. Fit autem hoc præſtantiſsimum, reliquaque propè vniuerſa medicamenta, tum propter eorum quæ inicijuntur probitatem, tum ob virtutis inter ſeſe proportionem. Plerique neutiquam ſingula ipſa priuatim probare nouerunt, quantum mala probave exiſtant: quapropter neque virium inter ſe proportionem cognoſcunt: vnde factum eſt vt pluribus medicamentis imbecillibus aut temporis ſpatio, aut genere nonnunquam iniectis, validiſsima ipſis admiſcuerint. Quidam enim aliquando papaueris liquorem qui ex Thebis Aegypti affertur, quique valentiſsimus eſt, immittens antidoto, Philonio id medicamento & guſtu & viribus perſimile effecit. Rurſus myrrha indita maxime

Mihi magis arridet vt legatur μελιτῶ q. μέλιτι, nã qui copioſum mel faciat ad diſcernendã antidotum ſed ſi multa ſtudio accipiat illã aſſumat hoc quidẽ plurimũ faciet.

valenti, ſimul cū pluribus imbecillibus præſtitit, vt antidotus ab illa vinceretur: ac alius quidā ſimiliter in croco errauit, alius in ſagapeno, quē ad modū rurſus alius in bitumine & galbano, nonnulli & duo & tria tam valida alijs imbecillibus admiſcentes, antidotum quæ ab illis ſuperatur, confecerunt. Siquis tamen ſagaci fuerit ingenio, viderítque vel ſemel antidotum hanc parari, is facile componendi illius rationem addiſcet. Porrò medicamentorum dignotionem, ac diſcrimina, non ſemel aut bis, terve, ſed admodum frequenter ſpectando, & accurate à quodam indicante ſimul & rationem docente quale optimum ſit, poterit indiſpici. At ei qui ſine indice ex libro quodam perlecto, quales ſunt Heraclidis Tarentini, Crateuæ, Dioſcoridis Nigri Iollæ, Ruffi Epheſij, & aliorum quorundam dignotioni ipſorum incumbit, multo magis ſuiſmet oculis inſpicere opus eſt, quo cuiusque medicamenti virtutem & malitiam exacte internoſcat. Nonnulla ſiquidem inſtitores tam calide adulterant, aſsimilantque veris, vt etiam exercitatiſsimos in eis fallāt: in quibus optimū eſt, ex longo tempore ea præparaſ-

ſe,

ſe, atque per amicum ſincerum ex regio ne qua præſtantiſsimum naſcitur medicamentum exhiberi, aut ſemel eò profectum, præparare quæ per totam vitam durare poſſent, qualia fere omnia ſunt metallica nuncupata. Quum itaque Cyprum propterea inuiſere ſtatuiſſem, haberemque amicum in ea præpotentem, qui familiaris erat præfecti metallorum, commiſſarij Cæſaris, cadmiam copioſam illinc exportaui, item diphryges, ſpodium, pompholygen, chalcitidem, miſy, ſori, & chalcanthum quem ad modum ex Palæſtina Syria opobalſamum exactum. Bitumen ſane ne adulterari quidem poteſt dolo, quem ad modum neque opobalſami fructus, aut xylobalſamũ. Nauigaui autẽ in Lẽnum quoq; ob nullã (ita me dij ament) aliã rẽ, q̃ Lẽniam ſiue terrã quis nominare velit, ſiue ſphragida, quod eſt ſigillum. Porrò diximus de ea abũde nono de ſimpliciũ medicamẽtorũ facultate libro. Hanc igitur ſiue Lemniã terrã, ſiue ſigillum malis appellare, adulterãt, vt nemo verã à fucata falſaq; poſsit dignoſcere. Quẽ ad modum & quod vocatur Indicũ Lyciũ, aliaq; multa dignoſci ab adulteratis difficillima: quæ con-

uenit ab his qui in regiones proficiſcuntur, tum commiſſariis, tum ſenatoriis loci præſidibus colligere, vel ab amicis qui ea loca inhabitant, quem ad modum me facere conſpexiſtis. Nam alia ex magna Syria, alia ex Palæſtina, alia ex Aegypto, alia ex Cappadocia, ex Ponto mihi alia afferuntur: quem ad modum etiam ex Macedonia, & occidẽtalibus plagis, vbi Galli & Hiſpani habitant: à Mauris item qui oppoſitam illis regionem incolunt. Quæ vero in ſingulis regionibus præſtantiſsima medicamenta gignantur, Dioſcorides alijque vere deſcripſerunt, Nos autem, vt dicebam, præparare ea oportet, quo docui modo, & præſertim ſi Romæ habitemus, quo ex omnibus gentibus ſingulis annis permulta adueniunt. Non nulla in ipſa quoque Italia, partim ſua ſponte gignuntur, partim præparantur, quem admodum in Dicæarchia quæ nũc vocatur Puteoli, ærugo, ceruſſa, æs, ſquama æris, ac alia nonnulla. In ipſa autem Roma, argenti ſpuma. Nonnulla tantũ nõ quotidie afferũtur, ſicuti quæ ex Sicilia magnaq; Libya, & Creta ſingulis annis æſtiuo tpe multa apportant, quũ herbarij viri q illic à Cę

ſare

ſare aluntur,nõ ipſi Cęſari ſolũ,ſed toti quoq; Romanorum vrbi plena vaſcula trãſmittant:quę πλεκτὰ dicũtur græce, quid viminũ plexibus cõſtent.Feruntur eiuſmodi à Creta etiam ad alias pleraſque gentes,vt nihil ex his quæ ab ea proueniunt deſit,neque herbis, neque fructibus, neque ſeminibus, neque radicibus,neque ſuccis.Alia igitur omnia ſincera accipiuntur: nonnulli autem ſucci adulterantur, ſed & hoc raro accidit,nã propter copiam herbarum, in inſula naſcentium,herbarij incolæ non adeo fucum facere conantur,immo neque nouitas magna,quem ad modum in alijs exiſtit,ſed abſinthij ſucco qui ſolus eſſet faciendus, marrubium miſcent, aut eiuſmodi quippiã exiguum immutant. Quare ab vnguentorum inſtitoribus Romanis,qui ſingulis annis plena medicamentorum vaſa plectilia coemunt, primum vnumquodq; ipſorum cognoſcere,doceri poterit,etiam ſi non prius, aliquis viderit.Ad hæc etiam quale optimum exiſtat, ex continua inſpectione apprehendet. Memores enim eorum quæ anno ſuperiore emerunt,quum alterum eo præſtantius viderint, agnoſcunt: inter herbas ſanè, quæ cum fru-

ctu

ctu ſurculis adhærente apportantur, fœcundius, germinantius, magis amplum, ſubſtantia ipſius compactum, & tempore non contabeſcens, intelligentes eſſe præſtantius his, quæ macriora, minus fructuoſa, rara, leuia, & celeriter contabeſcentia viſuntur. Aſinus enim nimirum eſſet qui nihil horũ poſsit intelligere: quem ad modum etiam guſtu odoratuque, nihil negotij eſt optimum deprehendere, quum idem ſubinde videremus. In quo enim ſingula medicamenta alijs odore, aut guſtu præſtant, in illo validum; principem inter ſimilia ſpecie locum obtinet. Ita ſanè & mel dicimus eſſe præſtantiſsimum, quod dulciſsimum, & acerrimum inter omnia alia habeatur, quoniam genus ipſius eiuſmodi in dulcedine exceſſum obtinere apparet.

Quum itaque ex dulcibus natura vuis muſtum ad dimidias, aut etiam tertias fuerit incoctum, dulcedine quidem nihil à melle deficit, hebes autem eſt & morſus expers, quem ad modum aqua: verùm mel non huiuſmodi exiſtit, quippe acrimoniam quandam cum dulcedine refert: quare laudatiſsimũ eſt, quod in his præcellit, ac primæ ipſorum no-

tæ

tæ propriæ virtutis,ex his petendę sunt: at ex accidenti,consequio, colore, substantia, odore, & veluti particularum compagine. Colore igitur pallidũ est, substãtia neque crassum & grumosum, neque nimis liquidum, vnitumq́ue per tota & viscosum,vt si ex eo nonnihil digito gestans fluere permiseris,distendatur sibi contiguum visci modo: nec diuellatur,neque abrumpatur, verũ non ideo est optimũ,sed quia ex peculiari natura mel optimũ hæc perpetuo sibi accidentia vendicat,eaq́; de causa præstãtissimi notæ efficiuntur. Hinc igitur opus esse dico,singula medicamẽta simplicia subinde inspexisse,vt in memoria habeamus,quantum acrimoniæ sortita sint, aut dulcedinis,aut alterius cuiusdã sensibilis qualitatis,quarum quantitas verbis nequit indicari. Iã & aliud quoddã cuiusque medicamenti facultatis iudicium ex longa experiẽtia accedit, quod nihil ratione adiuuatur.Nam mel Gnidium excellentissimum notis quas dixi nuper apparens, ceu prope accedat ad Thasium,& Hymettium, malitiam nõ mediocrem vetustate ostendit, in vinosam trãsiens qualitatẽ,similẽ ipsi quippiã & Rhodio accidit.Quapropter quũ

aliquis mel hoc in theriacam misisset: deinde post triennium ipsam vinum resipientem deprehendisset: non gustu modo, sed odore etiam, mihi ostendit: ac ego contemplatus, dixi id ei ex melle indito accidisse, ob quod homo me admirari cœpit. præterea interrogaui, an largius ipsum incoxisset, despumassetq́;, cõfitebatur autem & hæc, eoq́; admiratus, ac si sapiens quippiam à me audiuisset. Cæterùm eius ipse temeritatem ac præcipitantiam damnaui, quod ex sola scriptura medicamentũ præparare esset aggressus. Alius acidam quam præparauit theriacen affectam mihi indicauit, causam interrogans. Itaque quum à me audiuisset plus impendio vini esse iniectũ, eiusq́; non optimi neq; veteris, forte etiam panis non probe confecti amplius quam cõuenit carni viperarum esse immixtum: confessus ita se rem habere, temeritatis se dãnauit. Quare etiã prospiciendum venit eiusmodi genere vinũ immittas, quod sanè experientia notũ, est firmissimum existere: deinde validũ, quod pluribus iam annis probatum fuerit, quod non amplius immutetur. Etenim imbecillima, & (vt sic dicam) aquasissima vina, aut vehementer austera, &

maxime omnium vinorum acescentia: vbi præuenerint primis annis acescere, reliquo tempore permanent. Verum huiusmodi iudicij tempus aliud, alij vino existit: non multis sanè annis aquosis id accidit. Ita vero nominant alba colore, tenuiaq; substantia, & non multæ inter temperandum aquæ indiga. Omnino autem ea quæ talia sunt, vti nec caput omnino feriunt, ita neque corpus manifesto calefaciunt, neque concoctioni in ventriculo & venis euidenter quicquam conferunt, neque alendo corpori subministrant. Hæc ex omnibus vinis celerrime inueterantur. Vocant autem harum rerum periti, inueterari, promptè in talem veterascentium qualitatem immutari. Atque hæc acrimonia est cum calore manifesto: postea verò amaror, in quem transit. Nonnunquam & aquosa vina perseuerantia est videre, quū non primis, aut tribus, aut quatuor annis subacuerint. At validis simul & austeris, albisque cum crassitia vinis, etiam post decennium interim, si non benè fuerint recondita, acescere accidit. Eadem quoque inueterari longo temporis spatio contingit. Eiusmodi in Italia sunt Tiburtinū Signinum. Marsum

Su

Surrentinum. Et quidē Tiburtinū Marlumq; austera sunt, & ex facili si imprudentius condantur, acescunt. Signinum vero & his valentius est, & minus acescit, inueteratumq; optimum redditur. De Surrentino quid opus est dicere? omnibus enim hoc iam constat, id † ante viginti prope annos adhuc esse crudum. Viget autem tot annis natum, diuq; potulentum permanet, non facilè amarascens: atque bonitate cum falerno cōtendit. Secus aquosis accidit, Sabino, Albano, Gauriano quod in Puteolorum col le nascitur. Item & quod in Neapoli in subiectis ei colliculis prouenit, Aminæum quidem appellatum, sed tenue, non sicuti in Sicilia & Bithynia Aminæa, et si his gentibus paucū sanè, aquosum ac tenue vinum gignatur, non tamen abest vel à Sabino in Italia, vel in Asia, Arsinio, Tiracazeno, & quod apud nos vocatur Tibenum, propter regionem in qua colitur Tibas appellatam. Hæc omnia facile in contrarias qualitates mutantur, vel acidā, vel amarā: inter principia quidē acidā, sin autem permāserint, amaram. At multum vt ad alterutram mutentur qualitatem locus in quo reposita seruantur, confert. Initio sanè

Aliàs sic legitur & fortè meliùs. Vsque ad decenniū esse adhuc crudū ac totidem deinde annis vigere.

optimus est frigidus, postea vero calidus, aut econtrario, calidus per initia. Nam tepida facile ipsa in acorem perducit. Si autē in frigidiore sita loco permanserint annis duobus & tribus, illinc abunde calefieri desiderant: tepidum autem locum, & temperatura mediū, nunquàm requirunt, nonnulla tamen adeo sunt imbecillia aquosáque, vt ne initio quidem frigus tolerent: in quibus pater meus, causa experientiæ, stœbe cópiosa calidaq; in domum calidissimam iniecta vasa repleta occultauit, & assecutus, id quod sperabat, nunquā vinū habuit acidum, sed omnia celerrimè veterascentia. Quo modo aūt domúculam calidā præpares, vt ille extruere solebat, etiam nunc indicabo. In agris omnibus apud nos domus fiunt prægrandes, focum in quo ignē excitāt in medio ipsarum habentes: non multum autem ab eo distāt iumentorum stabula, vel in vtraque parte, dextra & sinistra, aut certè in alterutra. Sunt & furni focis coniuncti, iuxta anterioré ipsorú partem, quæ totius domus ostiū respicit. In eum itaque modū omnes in agris domus construuntur, etiāsi exiguæ existant. Quæ aūt curiosius ex eis ædificātur, interiore pariete exedrā

habent oſtio ex aduerſo oppoſitam: vtraque autem ipſius parte cubiculum in cuius ſuperiore parte domunculæ ſublimes circunquaque ſunt, quem ad modum in multis communibus hoſpitijs ſecundum tres magnæ domus parietes, ſæpe etiam iuxta quatuor. Ex his igitur domunculis maxime vtrinque conte&#7;ta eſt que exedræ incumbit, in hac vinum pater meus reponebat, poſtquam in dolijs efferbuiſſet: ac firmius in vaſis fictilibus prius reponitur, quem ad modum & alia mos eſt apud nos per totum annum calefacere. Præſtantior autem domus eſt, quæ meridiem ſpectat, à ſeptentrione auerſa. Porrò herba quæ apud nos naſcitur fruticoſa, admodum eſt calida, acris, & odoratum quippiam reſipiens: vocant ipſam incolæ Colymbadem, nonnulli Stœben, ad vini conſeruationem aptiſsimam. Condebat autem hac herba vaſcula, & domunculárum ſuperiorum partis vnum parietem foraminibus notandis in maiorem domum verſis, qua & furnum & focum eſſe dixi, diuidebat, conſiderans caloré, per eadem foramina in domunculam peruenire, qua vini dolia reponebat. Itaque ex magnæ domus calore & ſtœbe fotu theca vinaria incaleſcens vinum

totum conseruabat, vt nunquam, acesceret. Quo autem magis id consequeretur, & nunquam à proposito aberraret, vasis infundebat vinum non nouis, sed ex quibus aliquod vetus euacuarit. Persimile quæ dixi in Italia quoque vidi circa Neapolim fieri, & collem eidem regioni vicinum, quem nominant Triphyllinum. Audiui etiam in multis Italiæ locis vinum ita calefieri: sed tale quē ad modum firmū & durabile, ita etiā doloris in capite efficax efficitur, propter qualitatē quæ ipsi ex fumo accedit. Itaque eiusmodi omnia vina in medicamentis cōponendis quæ intra corpus assumpturi sumus, euitabis. In emplastris autē, & aliis quæ extrinsecus imponuntur medicamentis, etiā talibus vti optimorū penuria nihil prohibet. Deligi itaque vina debent in antidotos natura firma, inter quæ primum non ad hoc solum, sed alia quoque omni virtute falernum existit: assumendum verò & huius generis est, quod nondum præ vetustate amarescat, sicut nonnulli qui theriacen præparant, in hoc quoque falluntur. Quum enim audiuissent semper sermonem hūc celebrari circumferrique, puta alia omnia præter vinum

tempore consenescere; vetustissimum inijciunt: neque quantitatem illius aliqui coniectura assequuntur, eo quod neque in libris medicamentarijs mensura ipsius scripta inueniatur. Quum autem duplices sint ipsius species, nihil viribus inter se differentes, suauius antidotum, id quod dulcius est, efficit: ac vocant ipsum proprie Faustianum. Vt igitur qui vinum quod facile mutatur & acescit miscent, errant. etsi vel nullo infectum vitio per se antidoti medicamentis contemperetur subinde acescit, ita & vetustissimum falernum, & præsertim quando paulò copiosius fuerit inditum, medicamen reddit amarum. Iam vero alius vnus medicus etiam mel admodum vetus falerno similiter iniecit, simili quadam ratiocinatione vsus, vinosum quandoque mel aliquod euasit temperatum, quod præstantissimum ante apparebat: tutius itaque est, vt, quem ad modum sit & mel vinum quod longitudine temporis iudicatum est non corrumpi, medicamento admisceatur. Erat autem hoc vtique propter tempus subamarum, deinde ex coctura largiore magis adhuc amarũ est ostẽsum, q᷑ omni melli

ve

vetuſtiori ex coctione accidit. neque id mirum eſt, quum & citra cocturam tempore amarius ex dulciori euadat. Atque apud patrem meum mel quoddam amarum adeo erat, quale in ponto naſcitur quibuſdam locis, vbi apes ipſum ex abſinthio congregant, id ipſum tamen dicebat mel Athenienſe & præſtantiſsimum fuiſſe, ſed multo tempore inueteratum, amarum euaſiſſe. Quoniam vero inutile mihi viſum eſt, etiam à patris obitu in hunc vſque diem ſeruo, amarius quidem adhuc multo quàm tunc erat redditum, ſicuti & nigrius, non tamen multo craſsius. Atque hoc optimo melli præcipuum eſſe videtur. Quinetiã in Eleonte Cherrhoneſi, iuxta illam regionem, vbi monumentum eſt Proteſilai, mel natum, quod omnia diu eadem quæ Hymettion mel occupat, proceſſu temporis præter quod craſsius efficitur, etiam ſubinde in grumum concreſcit. Itaque mel omnium optimum antidotis inici debet Hymettion, aut Thaſium, aut omnino Atticum. Quod ſi penuria quandoque ſit ipſius, quod in Cycladibus inſulis naſcitur, quodq́; huic ſimillimum fuerit, admittendum eſt. Quin & in Iſthmo mel bonum gi-

gnitur, ac id à regione Isthmiacum pro priè nuncupatur, quem ad modum Tu breum & ipsum denominationem sortitum. Egregia nobiliaque hæc sunt. Cæterum & in aliis regionibus optimum mel prouenit: propter paucitatem autem ab incolis insumptum, vt non posſit superfluum in aliam efferri regionem, ignoratur. Etenim in nostro agro qui inter Pergamum & Elæam vrbem in mari sitam habetur, collis quidam est thymis refertus, in quo apes laudatiſsimum mel componunt, quod inibi consumitur. Iacet autem hic collis à Pergamo proficiſcenti ad Elæam in sinistra, non tamen propter viam. Ac in Mysia quæ supra nostrum agrum est, nominant autem tractum illum Britton, demiratus sum quum viderem mel omnino Attico persimile, etsi aliud mel longè prauiſsimum in ea naſcatur. Sed enim & illic tumulus quidam erat non grandis, in totum petricosus, thymis & origanis consitus. Alibi locus erat Cytisi plenus. Colebat autem dominus eius mel dulciſsimum, vt eo Atticum, excelleret, non tamen acre, atque ideo celeriter eo vsos subuertit, subitoque nauseam commouet, si etiam

paulo

paulo copiosius fuerit assumptum. Etenim & his qui de Cytiso scripserunt, hæc in confesso. sunt omnibus, quod bonam mellis partem ex floribus ipsius apes decerpunt. Fruticosa autem planta est Cytisus in altum excrescens, myrtis similiter Hæc sanè diximus vtilissima his, qui non solum Romam incolunt medicis, quò ex omni terra quotannis bona veniunt, sed qui in qualibet orbis parte habitant: vt cognitis optimorum notis, ex his quæ apud suos, aut certè vicinos, aut eiusdem gentis homines existunt, optima deligant. Qui igitur Philonium antidotum, aut aliud quoddam exiguum componit, non adeo summè bonis medicamentis indiget. Si verò Mithridaticam, aut Theriacen, aut aliam quandam multæ misturæ & cinnamomum recipientem antidotum conficiat, omnium præstantissimis opus medicamentis habet, quorum alio in loco copia non datur, eoque Romæ eiusmodi antidota præparant, non solum optimi medici, sed etiam myropolæ: omnes vtique in eis magis aut minus peccantes, non tamen inutile medicamentum componentes. Itaque Antonino impe-

rate à diuitibus plerisq; Theriaca præparabatur,atq; ideo nonnunquam aliqua ex his quæ difficile poterant comparari, deerant.Mirum.n. quàm diuites principis studia imitentur, aut cupiant saltem imitantes videri. Quũ autem ille è vita excesſit, paucisſimi hanc antidotum, veluti & Mithridaticã,præparabant.Quem ad modũ igitur Romę optimorũ medicaminũ omniũ copia facilius quàm alibi suppeditatur,ita in ipsa Roma alicui Cæsari antidotũ præparãti multo magis adhuc omnia præstantisſima suppetunt,vinũ sanè Falernum, mel Hymettiũ,opobalsamum qđ Syriacũ appellatur:ex loco autẽ in quo generatur copiosisſimũ optimũq;, aliud nomen secundũ obtinet: vocatur.n. Sigadinũ, præstantius his quæ in aliis Palæstinæ locis gignuntur. At quanto vinũ Falernum excellentius est eo,quod in tabernis venditur, tãto etiam eo quod in Aegypto nascitur præstat Sigadinum. Quapropter si exactè cognoscẽdi vniuscuiusque medicamenti virtutem, liceat Cæsari præparare, quem ad modum mihi licuit, optimum conficietur.Nam quum regibus præstantisſima quæq; ex omni terra afferantur,ex his rursus ipsis

opti-

optimum eligetur. Ego verò vini Falerni vniuſcuiuſque ætatem vaſculis inſcriptam relegens ab illis ea guſtare incipiebam, quæ plures quàm viginti annos haberent, inde ad ea vſq; procedebam quę nihil ſubamari ſaperent. Nam vetus in his quæ nondum amaritudinem aſſumpſerunt, optimum eſt, quantum ad ætatem attinet. Hymettium autem mel, quum in cellis imperatoriis copioſum haberetur, bimulum guſtans, delegi ex eo quod eſſet dulciſsimum & acerrimū, vt quod recenti & vetuſtiori ſit præſtantius. Quia verò non ſolum his qui regiam huius confecturæ copiam habent ſed & aliis quoque omnibus medicis ſcripturam vtilem eſſe conuenit ſermo mihi ſit prolixior. Statim nanque multa quæ Athenis emuntur, particulas habent pleraſque in imo abſconditas, quæ propter hoc neque inſpiciuntur, acrimoniam verò melli exhibent: ſunt autem thyma, ſed tempore in ſuperficiem erūpunt, quem ad modum etiam alia quæ alterius generis melli incidunt: ac multa quæ Romæ venduntur, talia apparent: præterquàm ſi callidi ſint qui afferunt, & ea exemerint thyma quæ ſupernatant, vt vulgares qui mel degu-

ſtant præpollenti thymorum qualitate decipiantur. Hoc autem non accidit in eo quod dolum non ſenſit. Si itaque aliquando thymum ſenſeris mel olfaciens, commemoratam modo fraudem conicito. Nam optimum mel acrimoniam thymorum attrahit: odorem verò non exhaurit, ſicuti nec guſtus vehementiam. De mellis igitur virtute ſatis eſt diſputatum. Etenim quatenus incoquere conuenit, vbi de confectura agetur, exponemus. De vinis autem deinceps dicentur quæ paulo ante reliquimus. Nam ſi in Aſia, aut apud alias quaſdam gentes antidotum præparans, vinum medicamento vtile deſideres, colore ruffum quærere oportet. Quippe nullum vel nigrum, vel album, vel rubrum, ad huiuſmodi antidota eſt accommodatum: verum ſubſtantia tenue, vt pelluceat, guſtu (ſicut in falerno dictum) necdum amareſcens, non tamen crudum adhuc propter nouitatem. Scribam autem eiuſmodi vinorum tibi exemplum quæ in Aſia noſtra proueniunt, & priuſquam Romanorum potentia eſſet adaucta, ac falernum inclaruiſſet, veteres medici appellationes eorum literis prodiderunt.

Sunt

Sunt autem tria in Asia: Ariusium sanè quod ab ipsis est commendatum, nascitur in Chio, nomenclaturam à loco vbi gignitur, sortitum. Quem ad modum & Lesbium à totius insulæ nomine vocatur. Tmolites à colle cui Tmolus nomen est, vbi nascitur. Porrò constat ex his ipsis optimum deligi secundum prædictas notas oportere, veluti in melle dictum à me est. Quum enim omne propemodū in Attica bonū existat, in hoc rursus ipso Hymettion est laudatissimū, mox Thasium: sic etiā inter multa vina quæ in Lesbo nascūtur, ruffum, non crassum, odorū, minimè astringēs, exiguæ dulcedinis compos, non tamen obscuræ, vocatur propriè Lesbium. Excellentissimum est quod tale in Eresso prouenit. Ab hoc deinde, quod in Methymna. Tertiū quod in Mitylena. Ex his optimum deliges, superius enumeratis notis iudicans. Quod nanque odoratius fuerit ex his quæ assumenda sunt & dulcius & substantia tenuius, hoc est præstantissimum. Itaque Lesbii talis est species, quem ad modum & Ariusij, quæ exiguo discrimine secundum maioris minorisq; rationem discrepant. Nō tamen hæc Tmolitis neq; Falerni existit.

existit. Quippe duæ ipsorum habentur species, alterum quidem dulce, alterum vt non dulce: ita neque austerum, sed in medio hic austerorum, dulciumque vinorum consistit. Iniicias itaque Theriacæ dulce, non tanquam ad totam medicamenti virtutem melius deligens, sed gratioris gustus causa, cuius solicitudo in medicamentis quæ deglutiuntur, est habenda: quum in se multa habeant amara: quem ad modum Mithridation & Theriace. nam omnia alia simplicia medicamenta, quæ ex longo vsu virulentis bestiis aduersari compertum est, qualitatibus amara sunt, vt in sermone de ipsis apparebit. Homerus autem, vt videtur, omnia quæ doloribus medentur, talia esse autumat. Scribit itaque hunc in modum.

Radicem adiecit amaram
Contritam manibus, omnes quæ auferre dolores
Apta.

Medicum igitur peritum esse consulo, si fieri potest, omnium stirpium: sin minus, at plurimarum & quarum vsus multus est: Genera ipsarum, aut si malis differentiæ, hæc sunt: arbores, fruti-

ces,

ces, herbæ, ſpinæ, virgulta. Nam ab initio ad finem vt poſsis cognoſcere, in multis terræ regionibus reperies, quẽ ad modum & ego in Italia offendi variis locis, quæ neque naſcentia, neque aucta nouerunt hi, qui ſiccata tantum agnoſcunt. Nullus itaque eſt vnguentarius, qui non norit herbas quæ ex Creta apportantur, ſicuti & fructus ipſarum. Verum in ſuburbiis Romæ, earum non paucas naſcentes omnino neſciunt: ac ideo quum fructus ipſarum afferunt, non inquirunt. Ego autem noui & chamæpityn, & chamædryn, & thlaſpi, & centaurium, hypericumque & polium, ad hæc alia eiuſmodi cum tempus eſt inquirens, quum vigent capio, neque reſiccata æſtiuo ſole, ſed neq; citius quàm conuenit ſumpta, dum fructus adhuc crudi imperfectiq; exiſtunt, nam compoſitorum medicaminum virtus, ſimplicium vires comitatur, exigua quadam in ipſa componendi ratione differentia obueniente, ad quam modo digrediar, vbi ſimplicium medicamentorum, quæ inuicem miſcentur, menſurã decentẽ adſcripſero. Quoniam verò nõnulla perperam ſunt ſcripta, dum quidem vbi petentibus ſcripturam exhibẽt,

ſpon-

ſponte mentiuntur, aliqui etiam peruertunt, quæ à nonnullis acceperunt exẽplaria, iſti libri qui in bibliothecis ſunt repoſiti, numerorum notas habentes ex facili peruertuntur, dum ε, id eſt quinq; mutantur in θ id eſt nouem, ſicut & ο, quod eſt octoginta, ſed & ι, in ν vnius lineæ appoſitu, quem ad modum & alterius ablatione. Quapropter ego, ſicut Menecrates librum conſcripſit, titulũ imponens, Hologrammatos Autocrator, quaſi dicas integris literis deſcriptis Imperator, in quo ἑπτὰ, id eſt, ſeptem, duabus ſyllabis ſcripta ſunt, non per ζ ſolum; viginti, tribus ſyllabis, vt εἰκοσι, non per κ duntaxat exprimit: τριάκοντα, id eſt triginta, quatuor ſyllabis effert, non per λ tantum: aliaq; ſimiliter: ita faciam & ipſe. At laudo etiam Andromachum, qui carmine Theriacam ipſam, quem ad modum alii nonnulli, deſcripſit. Democrates etiam alia omnia numeris incluſit, rectè nimirum faciens. Minime ſiquidem fraudulenti illi poſſunt eos peruertere: ac primũ tibi illius ſcripturam verſibus comprehenſam hic apponemus.

Accipe quas habeat vires, clariſsimè Cæſar

Antidotus multis consociata modis.
Accipe secura Nero libertatis alumne,
Magna salutifera, robora Theriaces.
Dicitur hæc graijs Hilare, Eudios, atq; Galene,
Ad portus diros, haud medicina lenis.
Nec si Meconis præfrigida pocula succi
Hauseris, insignem vim negat illa suã.†

Hæc quidem senior Andromachus literis mandauit: filius autem ipsius libro medicamentario, quem de internis inscripsit, hanc scripturam tradidit pedestri vsus oratione.

† Reliqua, quia eadẽ prorsus habetur paulo ante descripta in libro de Theriaca ad Pisonẽ, ne nimis volumen excresceret eadem bis repetendo sine vlla vtilitate, ideo hic omisimus, ea ergo quære pagina. 1058.

ANTIDOTVM QVOD Vocatur Galene, ad omnem affectum interiorem præsertim ad stomachi vitia, & aduersus letalia, & morborum circuitus.

Pastillorũ scillinorum drachmę quadragintaocto, pastillorum Theriacorũ drachmæ vigintiquatuor, magmatis hedychroi, piperis nigri, singulorum drachmæ viginti quatuor, opii drahmæ vigintiquatuor, rosarũ siccarũ, scordii cretensis, napi seminis, iridis illyricę, agarici

pontici,

pontici,cinnamomi,dulcis radicis ſucci, opobalſami, ſingulorum drachmæ duodecim, myrrhæ, croci, zingiberis, rheupontici,quinquefolii radicis, nepitæ(ſic Romani calamintham nominãt) marrubii, petroſelini,ſtœchados, coſti, piperis albi, & longi, dictamni cretenſis, iunci odorati floris, thuris, terebinthinæ, caſiæ fiſtulæ, nardi indicæ, ſingulorum drachmæ ſex, polii cretenſis, ſeſelis,ſtyracis, thlaſpi, amεos, chamædryos,chamæpityos, hypociſthidis ſucci,malabathri, nardi celticæ, gentianæ radicis,aniſi, meu athamanthini,fœniculi ſeminis,terræ lemniæ,chalcitidis to ſtæ,amomi, acori, phu pontici, balſami fructus,hyperici, acacię,gummi,car damomi,ſingulorũ drachmę quatuor, dauci ſeminis,chalbani,ſagapeni, opopanacis,bituminis, caſtorei,cẽtaurii tenuis ariſtolochię tenuis: ſingulorũ drac mę duę,mellis attici drachmę cẽtũ quĩquagĩta,erui drachmę octogĩta. Ex hac pedeſtri Andromachi iunioris ſcriptura licet intelligere, ſi quis quodcunque in elegis ſenioris pictum non aſſequatur: quare & ego eorũ quæ obſcurius ab eo dicta videbantur,interpretationem non appoſui, prolixitatem ſcripturæ deuitans.

tans. Vnum vero duntaxat miratus sum in iuniore Andromacho, quod in simplicium medicamentorum, vnde antidotum componit, enumeratione, nepitam pro calamintha scripserit. Romani enim calaminthamn sic appellant. Non conueniebat autem ipsum, quum omnia græcè tradidisset, hoc solum Romanorum nomen græcis inserere. Cæterum in vno inter se discrepant, quoniam metrica scriptura viginti quatuor drachmas longi piperis obtinet: pedestris autem sex. quia vero, vt dixi, multa exemplaria vitiatas medicamentorum quantitates habent, ideo primum quidem integris literis ipsas conscripsi, Menecratem imitatus: deinde autem post hoc etiam numeris expressas apposui. Porrò cùm Andromachi elegiaca obscurius sint composita, melius existimaui Damocratis versus admodum manifesto interpretatos apponere: sed hoc quidem paulo posterius aggrediar: nunc, quoniam multa ex simplicibus medicamentis quæ Antidoto immittuntur exposui, præstat ea quæ ipsis desunt adiicere.

Quomodò Pastilli Theriaci præparentur.

Viperas non quem ad modum non-

nulli media æstate, neque tamen quum nuper secessum terræ reliquerint, venari cõuenit: etenim æstate caro ipsarum est sitis efficax: secessus tempore, sicca, frigida, & alimenti expers. Optimum itaque tempus est, quod hæc intercedit, vt etiam Andromachus ipse indicauit, quum qui Baccho festa celebrant viperas solent discerpere, desinente quidem vere, nondum autem inchoata æstate, vel si ver admodum hiemale extiterit, æstatis initio non longè à Pleiadon ortu. Porrò fœtas viperas repudiare oportet, cæterum capita & caudas ipsis præcidere. Nam præterquam quòd hæ particulæ virulentiores esse videãtur, etiam duræ & modicæ carnis compotes existunt. Sufficit autem in magnis viperis id quod auferetur vtrobique quaternos digitos æquare. Reliquum vero totum corpus, intestinis exemptis, & cute detracta, aqua perlutum cacabo indere cum aqua pura viridiq́ue anetho (tũc enim viget) atque super carbones ignitos, aut ligna arida, quæ ꝙ fumum non edant, Græci vocãt ἀκαπνα, incoquere conuenit: præstiterit autem vitium esse sarmenta. Iam vero salis inijci debet, si quidem conuenienti

tem-

tempore viperas ceperis, modicum: sin autem æstate, nihil. At ex maritimis locis capere ipsas, aut salsa quadam aqua neutiquam tentabis, quippe antidotum ex huiusmodi viperis confectum sitim conciliat. Vbi vero diligenter ipsæ incoctæ fuerint, quem ad modum si quis comesturus esset, ex aqua oportet eximere, carnes autem auferre ita, vt nihil ex spinis simul exeat. Atque his accurate detritis, panis purissimi probè desiccati modicum admiscere. Præ omnibus autem panis bene fermentatus, & diligenter tostus erit, non sit in furno, sed sub clibano coctus. Nõ nulli igitur dimidiam ponderis partem ex pane iniiciunt, nonnulli vero tertiam, ego etiam quartam quintamq; nonnunquam indidi. Nisi enim probe fuerit tostus, periculum est, ne aliquid aciditatis medicamento obueniat. At satius est etiam diebus aliquot antea hoc pacto tostum in domo sicca exaruisse: simulatque vero ea mista sit læuigataque ad amussim, vt nulla viperarum carnis portio nõ læuigata remanserit, orbiculos tenues efformabis: nã crassi quũ ægre siccescãt, viperæ carnes putrescere permittunt, panem acescere: quare

hunc ſiccum læuigare potius eſt, non quem ad modum qui ante me Cæſari præparantes antidotum compoſuerunt, viperarum decocto ipſum irrigantes: ac ego longo tempore id factitabam, verum poſtea melius eſſe exiſtimaui, panem in læuorem detritum, ita viperarũ carni diligenter prius contritæ permiſcere: citius. n. hoc pacto orbiculi ſiccescunt: arido pane non humido illis admiſto. Cæterũ domus in qua ſiccescere debẽt, omnino ſit ſublimis, ad meridiẽ conuerſa, vel certe non ad ſeptẽtrionem, vt ſolis radios bona diei parte accipiat: ſiquidem in huiuſmodi facile ſiccescent. Statim vbi fuerint conformati, ea domus parte locentur, qua nõ radij ſolis perueniũt. Vertere autẽ eos cõtinue expedit, vt ęquabiliter vtraq; in parte deſiccescãt: hoc. n. niſi facias, altera pars plus, ac par eſt, ſiccabitur: altera humida diutius manẽs putredinẽ experiri periclitabitur. Simulatq; iã ſiccata fuerint, aliis plurimis diebus in eadẽ domo extra ſolis radios condẽtur, ita vt cõtinuè vertãtur. Abũde vero tẽpus hoc eſt, longisſimũ dierũ quindecim, ſecundũ quos reponere orbiculos tẽpeſtiuum eſt, quouſq; medicamẽtũ eſt præparaturus.

rus. Repones autē vase stanneo, aut vitreo, aut aureo. Vitreum itaq; & aureū nullū dolū experitur, stanneum plumbi mistura adulteratur. Tale igitur vitare cōuenit nō in hoc solū, verū in aliis quoque omnibus antidotis: veluti & quid ex argento nō purgato: celerrime enim et huic ærugo abnascitur. Vocant autē Romani argentum purgatum, candidum. At præstaret non multo tempore post vti pastillis: non tamen multum obsunt, etiamsi post annum iniiciantur, immo post longius insuper hoc tēpus. Nam probe initio siccati, & tribus annis, & quatuor in vigore permanent, si probe fuerint repositi: & puris linteis diebus aliquot puluis, qui ipsis obducitur, abstergatur. Si nanque hic longiori spatio adhærescit, ipsos perforat. Clarum vero est omnibus, vbi hoc fuerint experti, inutiles euadere, nam priusquam hoc ipsis accidat, etiam si inueterentur, vtiles permanent.

Quomodo Pastilli scillini parentur.

Siue scilliticos siue scillinos malit aliquis appellare pastillos, aut orbiculos, aut rotulas quæ ex scilla p̄parātur, nihil

refert: nã quocunque nomine appelles medicamentũ non offendis, modo nullum in compositione errorem committas. Ego vero etiam hanc tibi manifesto exponam. Scillam bonæ habitudinis ex terra sumes, quum folia ipsius & caules exacte inaruerint. Cortice autem adempto, deinde ex tritico recenti quã licet optimo pulte circunlitam postea in calido cinere copioso torrefacito, vsquedum massa farinacea obducta, in crustam omnino indurescat. Quod si etiã in loco quo præparas, furnus aliquis habeatur, in illum simul cum pane demissam, massa farinacea consiccata adempta, in læuorem cogito. At satis tostam esse deprehendes, quum festucam demiseris: hanc enim scillæ corpus, quum probe fuerit tostum, prompte recipit. Vbi vero exacte ipsa fuerit detrita, farinam erui candidi immittes: nam eius quod non albũ est, vehementer amara est. Cæterum liquet omnibus hanc tenui cribro esse incernendam, & deinde ad amussim læuigandam. Scillam vero huius pondere sesquialteram esse cõuenit. Dico autẽ sesquialteram, vt duæ quidem farinæ partes, tres autem scillæ existant: nam idem

dicens

dicens iunior Andromachus, haud noui, quo modo octuaginta drachmas erui farinæ esse velit, scillæ autem centum viginti: satis enim erat dixisse sescuplum: deinde tenues orbiculos ex hac mistura formatos in domo ad meridiem spectante (sicuti prædiximus) reponito. non tamen in ipso solis splẽdore siccato, aliaque de theriacis commemorata, in his etiam facito.

HEDYCHROI CONFECTIO.

Superiore Theriacæ facultatis compositione, Andromachus quo modo sanè tum Theriacos, tum scillinos orbiculos præparare conueniat, indicauit: quo modo autem hedychroon conficiatur, non exposuit: ac alii plerique ex his qui composita medicamenta conscripserunt, hedychroi cõfectionem in tractatione de Theriaca intactã reliquerũt: quare medicus quidã Romæ ex his qui medicamentũ præparare non viderunt, ex scriptura confectionem eius aggredi ausus, quærebat apud vnguentarios hedychroon, putans herbam esse aut aliquod tale simplex medicamentum. Ego autem hoc quoque osten

dam quo modo ab Andromacho & alijs qui huic continuata serie successere, Cæsari id vsque in præsentem diem preparantes componatur. Porrò vt etiam ipsius scriptura ægrè vitietur, corrumpaturque, ligata oratione inferius scripta explicabitur.

Hedychroi vult magma mari binas sibi drachmas,
Aequales & amaraci habens, asari, aspalathiq;,
Et iūci teretis, calami qui suauis odore est,
Phuponti, ligni & succi quem balsamon edit,
Tres sunto drachmæ, totidem costi, cinnamomi:
Myrrha sex alias misces, folij malabathri,
Indorum nardi, flauiq; croci insuper aquas.
Quinetiam casia totidem, sed pondus amomi
Sume duplum, drachmam Chia sed masticha habebit.
Hæc vino debent conspargi cuncta falerno.

Quum hæc tēperata fuerint, orbiculi nimirū fingūtur & theriacis & scillinis persimiles, eodemq; modo siccātur. Hæc sanè hæreditario, vt dixi hedychroi cōpositio ab Andromacho ad nos vsque perue

peruenit. Aliæ autem diuersæ à nonnullis descriptæ sunt, his nimirum, qui medicamentorum experientiæ studuerunt, pondere eorum quæ iniiciuntur euariantes. Nonnullæ autem neutiquam habēt amaracum & marum, non nullæ alterum ex eis duntaxat obtinēt. Neque enim myropolæ omnes ea cognoscunt, quod videlicet solas herbas quæ à Creta apportantur vnà cum seminibus succisque emant. Ego vero etiam herbas easdem in Asia generari noui, in aliis sanè locis paucas, in Cyzico autem plurimas: ac in Italia sicuti alias quasdam, ita & Amaracum crescere vidi. Porrò hæc planta à maro permultum odore vincitur, nam marum vehementer odoratum, & quod amaracinum vnguentum vocatur in Cyzico confectum, quantum ad appellationem attinet, putauerit aliquis amaraci plurimum habere, & forte hoc pacto à veteribus præparabatur: nunc autem marum solum immittunt. Ego vero herba gustata, & amaritudine in ipsa per multa, acrimonia autē non itē multa deprehēsa, adhortat' sum aliquē ex his qui amaracinū solēt præparare, vt tantū amaraci, quantum etiā mari, confecturas

inijceret. At mihi præparatum vnguẽtum ita minus quidẽ odorũ, nihil autẽ minus efficax apparuit. Hæc igitur in trãſcurſu obiterq; dicta ſint. Digrediamur igitur iá ad huius antidoti cõfectionẽ, eodẽ ordine ſingula quæ ei immittuntur repetentes, quẽ Andromachus ſupraſcriptis elegiacis verſibus cõfecit: quinquaginta ſanè drachmas minus duabus ſcilliticorum paſtillorum inijciendas cenſens: quod idem eſt ac ſi diceret quadraginta octo, horum dimidiatã partem, quod eſt vigintiquatuor drachmas theriacorum, opijque & hedychroi, et longi piperis. De tribus itaque dictum eſt. Longum autem piper fraudulenter præparatũ deprehendes, aqua irrigans: nam quod præparatum eſt, ſoluitur: quod ſua ſponte prouenit, inſolubile permanet. Porrò eſt id quo adulteratur, herba quædam flaua, quę à peregrinis regionibus, aſpectu quidem, ſed non guſtu tamen ſimilis, quare etiam facillimum eſt à longo pipere ipſam diſcernere. Iam vero & ſagapenũ dictum deprehenditur, ſi aqua aut vino ſuperfundas: quippe verũ ſtatim diſſoluitur, quod nõ tale eſt, haud eliqueſcit: ſiue vt neutrum nomen, ſagapenum: ſiue vt maſculinum totum hoc ſagapenũ

liquorem appellare malis (est enim reuera liquor ferulæ cuiusdam panaci similis) nihil interest. Verum panacis liquor nihil habet persimile ei, qui in chalbano albior exilijt, chalbani autem pars in sagapenum degenerat, quæ spumosa leuisque est, altera in optimum, chalbanum, sagapenum resipiens. Hæc autem densa est, & multo magis quàm aliud chalbanum constricta: vti ea conuenit, vt particula chalbani præstantissima. Quoniam vero transire dixi ex chalbano in sagapenum, quod spumosum in eo cohærens albumque, est, prompte in liquido soluitur. Apponere vero sermoni oportet, præsertim quod consimiliter optima casia in cinnamomum degeneret. Spectaui enim iam subinde sublimis, & ramosæ casiæ vt in fruticis magnitudinem, erumperet, surculos quosdam ad amussim cinnamomi similes, tum aspectu, tú corticis tenuitate, & præterea firmissimis cinnamomi notis, quæ & gustu, & olfactu deprehenduntur. Pari modo in optima myrrha, opocalpasum inuenit à myrrha diuersum: ac in tribus hisce, dico sagapeno, opocalpaso & casia, medio spatio nonnulla gignuntur, quę non

non amplius remanent, aut chalbanũ, aut caſsia, aut myrrha, necdũ exactam ſagapeni, cinnamomi & opocalpaſi, ſpeciẽ referẽtia. quapropter etiã ſubinde eũ qui cõſimilia inter ſe dignoſcere voluerit vidiſſe oporret. Quẽ ad modũ in pueris gemellis inuicem ſimilibus, qui quidem non eis aſſuerunt, alterum ab altero nequeũt diſcernere, his autem qui vnà vixerunt facillima eſt dignotio: ita habet in omnibus quoque medicamentis. nam qui inter ea educatus eſt, & frequenter vidit, ex facili vel paruas differentias & catus eſt, & frequenter vidit, ex facili vel paruas differentias, & iuuenit & cognoſcit. Qui vero ſemel aut bis conſpexerit: tanquam indifferens alterum ab altero ſpectabit, quod nonnunquam manifeſtiſsimum habet diſcrimen, ei qui frequenter intuitus eſt manifeſto apparens, vt etiam ex vno accidentiũ ipſius facile ſit cognoſcere: nam ſagapenum ex chalbano, non habet proprietatis odorem eundem cum eo quod proprie ſagapenum dicitur. Quod enim huiuſmodi rerum periti ſic nominant, odoris ſpeciem hircinam, ſagapenum ex chalbano nõ exuit, verum in tali ſagapeno, atque hoc chalbano,
haud

haud magna ad medicamenti compositionem differentia existit. Ambo siquidem conueniunt aduersanturque virulentis & deleterijs, sed chalbanum minus sagapeno. At opocalpason letale est multosque forte fortuna nostris temporibus propter inscitiam myrrhæ quę opocalpason habebat, interijsse nouimus: nam de industria nonnulli ipsam præparantium, vt laudatissimam iniecerunt, quod collyrijs inditam, optimum esse medicamentum viderent, vt quæ pus citra rosionem discutiat, nonnunquam etiam suffusionem incipientem substantia tenuem: siue autem in emplastrum, siue in ceratum, aut aliquod digerēs medicamētū quod extrinsecus imponitur, huiusmodi myrrham inijcias, virtutem ipsius augebis, verum intra corpus assumptum letale est medicamentum. Hæc igitur fusius dicta sunt, tum propter sermonis consecutionem, tum speculationis vtilitatem. Præterea vero simplicium medicamentorum quæ Theriacæ immittuntur ordinem ab Andromacho scriptum persequi tempestiuum est. Tradit itaq; tertium ordinem medicamentorum singulorum duodecim drachmas recipiētium,

tium. quæ omnia præparabis in suo ipsa vigore deligens: exempli gratia, rosas statim siccans quidem, vt in pastillis expositum est præstantissimas, capiens autem ex eis quæ longè omnium suauissimæ sunt. Quinetiam alijs rubicundiores, diligentia adhibita ne vllum medicamentum in subterraneis domunculis præsertim humidis reponas, in quibus situs celeriter prouenit. Deinde vero Illyricam Iridem Andromachus post rosas inijciendam censet, quem sermonem ne obiter inaudias, ceu & de alio quodam medicamento de quibus infra dicturus sum, optima in vnoquoque genere quale sit, edocens. Polium itaque & chamædrys Romam apportantur paulo præstantiora his quæ in Italia nascuntur. In quibusdam n. locis Italiæ vno multo inferiora crescunt, illis annis quibus ver totum non humidum euaserit, quemadmodum sæpe fit, vt assimiletur æstati. Verum quum siccior aëris constitutio oboritur, ea quæ Italia profert, aut Cretensibus similia, aut non multo deteriora quædam nascuntur: exempli gratia, chamędrys, chamæpitys, hypericum, gẽtiana, chlaspi, nigrum veratrum, aliaq; simi

ſimilia. At de iride non ita habet: nam ſi conferas eam quæ ex magna Libya Romam copioſiſsima affertur, tantum ab Illyrica abeſt, quantum mortuum corpus à viuo: nō tamen in alijs nationibus ita multum abeſſe apparet. Atque in huius genere odoratiorem deligito, quem ad modū in alijs medicamentis. Vnumquodque enim præſtantiſsimū eſt, quod proprium generis ſui odorem habet. valentiſsimum, quod ex multa inſpectione ſingulis innoteſcit. Quinetiam de guſtus qualitate ſimiliter, proprietas in vnoquoque genere primas obtinens optimum declarat medicamentum: ignobilia autem habentur, quæ in ſuo genere & tenuiora, & exiliora: præſtant enim in quolibet genere non rugoſa, neque exilia: quem ad modum quæ modum excedunt, deteriora iudicantur his quæ bene nutritam ſolidamq; habēt cōſiſtentiam. Quam ob rem, vt dixi, multa ſubinde ſpectaſſe conuenit, pręcipuè optima, & quæ longo tempore experimēta ab origine ſuiipſius exhibuerunt, vnoq; cōſenſu à medicinalis materiæ peritis cōmendata. Omnes itaq; prodiderunt irim quidem eſſe laudatiſsimam, quæ in Illyricis naſcitur: petroſelinum

vero

vero Macedonicum, bitumen Iudaicũ, quem ad modum & opobalsamum, ac de aliјs similiter, de quibus deinceps in peculiari singulorum sermone virtutem à regione proficiscentem non omittam. Deinde vero dulcis radiculæ succi, & napi siluestris seminis meminit: quæ vtraque ex Creta præstãtissima afferũtur, potissimumq; dulcis radicula, tum ipsa, tum ipsius liquor.

Scordion optimum ex Creta nobis aduehitur, quanquam non malum in alijs nationibus sit inuenire. Porrò memoriæ traditum est à viris quibusdam fide dignis, quum bello mortui pluribus dieb' inhumati iacuissent, corpora quæ super scordion forte fortuna procumberent, multo magis quàm alia à putredine immunia permansisset & maximè illas corporis partes quæ herbam scordiõn contingerent: ac creditum est putriferis animalium venenis & medicamentorum deleterijs succurrere. Sed traditum est abunde de tota medicinali materie quinque Dioscoridis libris, à quo præter alia etiam olfactus, gustatusque, qualitates quibus potissimũ probatiora medicamẽta à deteriori b' cognoscũtur discernũturq;, licet tibi

condiſcere. In nonnullis etiam viſorias qualitates non parum conferre reperies: ſed mihi in præſenti opere inſtitutum eſt, non quæ ab alijs recte tradita ſunt huc transferre, ſed quæ deſiderantur manifeſto interpretari. Inde opobalſami & cinnamomi in prædictis verſibus Andromachus meminit, in quibus poſt traditas à Dioſcoride notas maximum eſt ea prius inſpexiſſe, in qua regione vnumquodque ipſorum præſtantiſsimum gignitur, quem ad modum ego conatus ſum, ſciens opobalſamum varijs adulterari modis, vt ægrè poſsit dignoſci, ipſe videre quo modo id liquorem fundat, ac inde ceu regulam quandam aliorum obtinere. Porrò didici multas ipſius adulterationes, vt etiam exercitatiſsimos lateant, quas publicare ſcientes non dignum æſtimo, ne praui ipſas in tranſcurſu diſcentes, in opere ad malas actiones transferant. Neque enim eos qui letalium medicamentorum ſcripturas inuulgant, probo. Si igitur probationes à Dioſcoride ac alijs qui de ſingulorum medicaminum materie ſcripſerunt, expoſitas ipſis afferatis, veſtris ipſi oculis multa ſpeculati, exactè inuicē poteritis diſcernere:

quæ diſcerni eſt poſsibile. Quorundam enim (vt dixi) aut nulla prorſus, aut nõ exacta eſt diſcretio, verum notæ eorum quæ doloſe paratæ ſunt, & eorum quæ vera ſunt confunduntur. At de cinnamomo contraria his quæ in opobalſamo dicta ſunt, ſentio. Perſuaſum nanque mihi eſt, optimum cinnamomum his qui crebro viderunt, omnium facillime poſſe dignoſci. Hoc autem aliquem aſſequi nõ licet, niſi quis Imperatorum parata cinnamoma, quæ in ſex ferè differentias generales diuiduntur, conſpexerit: Eſt nanque in his ipſis, inſignis, optimi, ad deterrimum exceſſus, quemadmodum in caſsijs, vt optima caſsia parum à prauiſsimo cinnamomo abſit: item quia cinnamomi vis quæ vſui ſit idonea diuturna haud efficitur: quippe ne ad triginta quidem annos facultas ipſius quam initio obtinebat, integra cõſeruatur. At nonnulli nugantur, qui ex huiuſmodi medicamentis cinnamomũ ſenij expers permanere pronunciant. Neque.n.centum, neque ducentis annis interea delapſis, ſed paucis, ſi tantũ, numerum reſpicias, mutationem iam aliquam vetuſtiori cinnamomo obortam vidi. Quum itaque Theriacam Antonino

nino præpararem, vascula multa lignea conspexi, alia Traiano imperante scrinijs recondita cum cinnamomo, alia principatu Adriani, alia regnante Antonino qui Adriano in imperio successit: ac omnia cum congeneri cinnamomo manifesto se inuicem superabant, tum gustus, tum odoratus imbecillitate & vehementia, quantum & tempore euariabant. Quinetiam quum asportatũ esset aliquando ex Barbarorum terris scriniolum quatuor cubitos dimidiumque longum, vbi arbor tota cinnamomi primi generis erat condita, vnde cõpositionem quandam Imperatori Marco Antonino molitus, totum expertus sum: antidotum abunde alijs præcellere, vt posteaquã Imperator ipsum degustasset, tempus non expectauerit, quem ad modum in alijs, in quo medicamentum concoquetur, sed statim vsus sit, ne duobus quidem mẽsibus integris interea præteritis. Verum vbi Cõmodus ipsi successisset, neq; Theriaces antidoti neque cinnamomi ratione ab ipso habita, tum arboris illius reliquum, tũ quodcunq; aliud post Adriani tempora apportatum est, totũ interijt. Quare quũ huius tempestatis nostræ Imperator

Seuerus iniunxiſſet, ipſum ſimili modo quo Antonino præparabam, antidotum, componi,coactus ſum ex his, quæ Traiani, Adrianique tempore erant ſeposita,deligere, ac mihi euidenter imbecilliora euaſiſſe nunc apparebant, ne triginta quidem annis interea abſolutis. Quapropter ſermoni de optimo cinnamomo habito, aliquid neceſſariũ cogito adiicere, vt ſit odoratiſsimum, indicibilem quandam odoris gratiam ſuper alia omnia referat, guſtanti calidum admodum percipiatur, non tamẽ vt moleſte rodat:colore autem tale,veluti ſi quis lactis colorem fuſco admiſcuerit cum modico cæruleo nuncupato.Sumpto autem ex eo quantum volebam,ſicuti conſueui, paucos ramuſculos apud me repoſui in ſcrinium,vbi omnia quæ mihi chara,& in precio erãt, continebantur. At eo combuſto, quando etiam Pacis delubrum incendio flagrauit, cum aliis quinque cinnamomi generibus totum quod comparaueram intercidit: quam ob cauſam Imperatori noſtro qui nunc exiſtit, antidotum confeci cinnamomis quę Adriani tẽpore erant apportata,ad hoc delectis: de quibus etiã ipſis,quum vtile quippiã lecto-

lectoribus poſsim adiicere, commemorarem id non ſubterfugiam. Multa igitur ſunt lignea ipſius vaſcula, quę in hūc etiam diem reſeruantur: omnia vero continent cinnamomum, multis radicibus, aut multis ramis, ſiue quocunq; modò libeat appellare differentias: nullum verò tanquam caudex in multos ramos fiſſus in longitudinem ampliorem eſt exporrectum, ſed qualis vtriq; veratro ſpecies eſt, & magis adhuc ei quod damaſorium quidem appellatur, ex Creta autem nobis affertur: ſingula verò ipſa, ex vna radice veluti fruticulus quidam enaſcuntur, hic ſex, ille ſeptem ramorum propagines obtinens, aut paulo plures, aut pauciores, non æquales ſanè omnes longitudine: ſed maximus ipſorum dimidio pede Romano maior non eſt. Porrò tota ipſius ſubſtantiæ natura præſtantiſsimæ caſsiæ propemodum eſt conſimilis, quæ ab importantibus, ipſam barbarico nomine diſsyllabo nuncupatur, ita vt prima ſyllaba conſtet g, & i, altera ex z, &, i. Hæc nobis de cinnamomo dicta ſufficiant. Cæterum quoniam agaricum deinceps ſcriptum nullam adulterationem recipit, hoc ſolum intellexiſſe erit abun-

de, quod etiam priores tradiderunt, leuissimum in ipsius genere esse laudatissimum: densum autem graue, lignosumq́; deterrimum. Quantũ vero in horum medio consistens, ab vtroque notis recessit, tantum etiam virtute. Porrò quæ post commemorata habentur, népe myrrha & costus, haud ægræ cognoscuntur his qui iam antea viderint: sed sciendum venit myrrham troglodyten dictam antidotis recte accommodari: nonnulli eam vocant minæam, à regione vbi præstantissimam gigni asseuerant. Gratissimi vero sit odoris, & (vti à nobis antea est commemoratum) nihil habeat opocalpasi intermixtum.

Crocum sanè omnes veteres, adeoque poëtæ ipsi corycium commendant: ego vero, tum corycium antrum in quo nascitur, tum crocum ipsum exactè sum speculatus, procerum sanè, non tamen super vniuersos alios, aut robore odoris præsentanei, aut diuturni differentem. His autem optimum vos iudicare censeo, non quod magnitudine excellat. Iam vero omnibus constat optimum esse tum flauissimum, tum odoratissimum, & longo tempore in vigore suo persistentem. Quoniam vero

& hic

& hic adulteratur ita, vt haud facilè poſsit dignoſci, prӕterquam ab iis qui ſӕpe admodum prӕſtantiſsimum viderint, ſatius nobis eſt ex longo tempore antea coemptum in apto quodam ӕdium receptaculo repoſitum habere, ſicuti prius à me dictum eſt. Maxima enim eſt probatio, ſi talis permaneat qualis fuerit aſſumptum; nam adulterati & color & odor celeriter euaneſcunt. At de caſsia neceſſarium eſt mihi commemorare id, quod in multis medicamentoriis libris memoriӕ proditum eſt, nempe cinnamomi penuria duplicatam caſsiӕ portionem eſſe iniiciendam. Quippe Satyrus prӕceptor noſter hoc irridens, id tanquam vnam ex Quinti facetiis referebat, qui dicere erat ſolitus, ſimile quippiam eos facere qui caſsiam duplicatam iniicere prӕcipiunt cinnamomi inopia, quem ad modum qui iubent vini falerni penuria duplicatum id quod in tabernis venditur eſſe bibendum: & ſi panis nõnunquam deſit purus, furfuracei dicti duplicationem eſſe ingerendam. Mihi vero ratio hӕc ſi de vno quodam ipſo, quod per ſe priuatim in vſum perduci debeat, dictũ fuerit, in totũ vera & vitii ex

pers esse videtur: in compositione autem multorum, non item vera. quodcunque enim quod solum assumere oportet, verbi gratia Rhu, aut absinthiū, aut iridem, aut gentianam, aut aliud eiusmodi medicamentum quodlibet, si duplum ipsius prauum loco præstantissimi afferas, vel extrinsecus, vel intus in corpore, duplicatum oberit: quum autem multis particularibus vnum excellentissimum miscere conuenit, quod aliorum virtutem aucturum sit: si generosissimi copia nō datur, eò quod idem genere promittit, duplicato vti, malum nullum fuerit, etiamsi optimo videatur deterius. Cassia verò cinnamomo genere proxima est, vt quæ nonnunquam ex mutatione ipsa euadat cinnamomum, vt totum quidem veluti arbor exacta cassia videatur, surculi autem nonnulli in ea cinnamomi, ramis cassiæ continui reperiantur. Persimile autem est huiusmodi nō ei quod in vinis, aut pane solet accidere, quē ad modū Quintus aiebat, sed ei quod in vitæ actionibus, ædificationibus, nauium structuris, grauiū corporum eleuationibus translationibusq;, in vrbibus, in omnibus præsidiis accidit, in quibus quod per vnum vali-

dum efficitur, hoc abſente, per duos imbecilliores adminiſtratur. Hæc igitur cõtra Quinti orationem tractata ſint, ne omnino repudianda eſſe ſententia eorum videatur, qui in vicem cinnamomi caſsiæ duplum iniiciendũ cenſent. Ego verò ſemper cinnamomum indidi: nam omnibus quibus medicamentum præparaui, aut amici imperatorũ erant, aut opulentes, quibus non difficile erat, aliis quidẽ à rege petere, aliis etiã à quodã coemere. At huic adiicere, quod nũquã quoties imperatoribus confeci medicamentum, cinnamomi laborauerim inopia, planè eſt ſuperfluum. At verò de carpeſio Quinti ſententiam, quam non à Satyro ſolum, verumetiam ex aliis quoque diſcipulis Quinti audiui, præſtat commemorare. Ille ſiquidem iniiciebat (vt aiunt) quum cinnamomi facultas non dabatur, carpeſium, ceu optima caſsia viribus nihil inferius: eoque magnam ipſius copiam, quum ex profectione, quam in orientalibus regionibus ſubii, apportatam diligenter repoſui, & in hunc vſque diem non paruam habeo, quod & odorem & guſtum cõſeruet, licet nõ priori æqualẽ, certè nõ omnino euanidum. Eſt autem ſimilis gene

re phu appellato, ſed valentior, & nonnihil etiam odoratum repręſentans. Plurimum autem in Side Pamphiliæ carpeſium hoc gignitur, atque adeo facillimè emitur: quare ſi quis veſtrum illud quandoque contendat, copioſiſsimum exportet, ſciens diu id ſibi ſufficere. Porrò tenues feſtucæ ſunt perſimiles ſurculis cinnamomi, vocantq; indigentes alterum ipſorum laertium: alterum ponticum, quod etiã præſtãtius eſt: vtriuſq; autem à monte vbi naſcitur, cognomentum exiſtit: cuius ſanè quum copiam haberem, in aliis multis partitu latim ſum expertus, in quæ & phu dictum immittimus: eſt enim ipſum conſimile quidem, ſed valentius, & vt dixi, odoratę qualitatis nonnihil, & odore, guſtu repræſentans. Cæterum ex his omnibus quæ de caſsia retuli, maximè eſt neceſſarium definire, qualis caſsia ſit iniicienda, quum Gizi maximè commendant, mox appellatam moton. Sunt qui arebo & daphniten. Quod igitur Gizi cinnamomo in omnibus reſpondeat, dictum à me antea quoque eſt. Hæc eſt quæ ſubinde ab huiuſmodi rerum peritis ceu cinnamomum venditur, eiuſce generis exiſtit. Sed fiſtulam

lam dictam ab aliquibus, iunior Andromachus iniiciendam censet. Omnibus autem hæc cognoscitur, quinetiam facillimè omnium comparatur: exteriorem sanè corticem, quem & fistulam dicunt fortem, tum odoratu, tum gustu obtinet, interiorem verò imbecillimã, vt nullus ipsius vsus esse nobis possit. Itaque præscriptis elegis indistincte cassiæ nomen prolatum est: in pedestri autem filii ipsius scriptura adiectum inuenias cassiæ nomen fistulæ, ac ab illo in hunc vsque diem tradita nobis successio eorum, qui imperatori antidotum conficiunt, fistulæ nomen adiectum habet. Post vero, Andromachus Indicam nardum indi iubet, quam & spicam nardi appellamus, licet radix existat, à formæ similitudine, quam cum spica obtinet: in qua cauendum est, ne quis elotam dictam tradat. Est autem illa iis qui vnguenta præparant, in coctione ipsorum, sicuti consueuerunt, prius in vsum ministeriumq; adhibita, quæ integra venundatur. Quapropter etiam omphas appellatas, barbarica lingua accipere cõuenit: quarum & circunlita terra radici decocta nardi odorem repræsentat. Præterea iuncum rotundum

dum Arabicum immitti præcipit, qui à vulgo, haud ſcio quomodo, iunci rotũdi flos dicitur: quum tamẽ nos nõ adeo floris copiã habeamus, tota enim aduehitur herba, ſubinde ex patre ſuperiori à camelis eroſa: nam libentiſsime eã depaſcuntur, & copioſiſsimam in Arabiæ viis creſcentem habent. Eſt item parui precii medicamentum, & ſolo odoratus vigore diſcernitur, quoniam gratia illius odoris celeriter euaneſcit. Iam vero quum Andromachus ſcribit, Thus miſcebit & aglaiam quod eſt pulchrũ, ſtatues, aglaiam non diſquirendum eſt ceu alterius medicamenti nomen. Nam in compoſitione Antidoti pedeſtri oratione ab Andromacho iuniore ſcripta, & ea traditione quæ hucuſque ad nos peruenit, neque medicamenti alicuius nomen eſt aglaia, & medicamentum præterquam in pondere quarundã medicinarum, omnino concordi ſententia & ſenior & iunior Andromachus deſcripſit, ac nihil extra illa additur, de quo Aglaiæ nomen dici quis putauerit: quamobrem forte Aglaia epithetum thuris authori elegorum adiectum eſſe videtur. Deinde nigri piperis, dictamni, marrubii, rheu meminit, rerum omnibus

bus cognitarum. At ſcriptura ex ſucceſſione nobis tradita, adiectum habet piperis grauis & ponderoſi pondus, id vero & maius eſt alio pipere, & corticem habet tenuiorem, minuſque rugoſum. Ad Rheu quoque ipſum adulteratur, quandoquidem ſtatim ex regionibus vbi gignitur, recens nonnulli capientes ipſum, decoquenteſque, vt ſuccum demittat, quem vbi coxerint, nobis ceu purum, & aquę non mixtum tranſmittunt: Rheon autem ſiccatum: tanquam neque id prius incoctum, ablegant: idcirco adulteratum cognoſcere oportet, ijs facillimum deprehenſu, qui ſua ſponte naſcens rheon viderunt. Neque enim quod ex eo ſub aſpectum venit, denſam compactamque per totum ſubſtantiam habet, ſed rarius eſt, ac in guſtu aſtringentem qualitatem omnino obſcuram, aut nullam obtinet: et ſi validam occupet rheon, quum viget, perforatur autem & ipſum celeriter. Stœchas naſcitur copioſa vbique terrarum. Quum autem copioſiſsima proueniat in Creta, & Stœchadibus dictis inſulis in mari Ibero ſitis, vnde etiam nomē ipſi inditum, procerior meliorque eſt illa quæ ex inſulis quàm quæ ex creta petitur. Petroſelinon,

ſelinon, noſcitur quidem omnibus collaudatum Macedonicum, quod etiam nonnulli eſtreaticon, à regione vbi gignitur nomenclaturam ei imponentes, appellant. Omnino autem paucum eſt, quod in illo loco naſcitur præcipiti, neque magno. At eſtreaticon Macedonicum, quod à Macedonibus in omnes nationes apportatur: paucum ſanè & ipſum in Macedonum terra prouenit. Verum quod in melle Attico & vino falerno, id etiam in Petroſilino accidit. Nam in omnem ferè terram mercatores, ſicut Atticum mel, & vinum falernum, ita quoq; macedonicum petroſelinum exportant, quum tamen ipſum non tantum generetur, vt vniuerſis gentibus ſufficiat. Sed in Epiro plurimum gignitur petroſelinum, quem ad modú in Cycladibus inſulis mel: atque hoc ſanè ex inſulis Athenas importatur, illud ex Epiro prius quidem in Macedoniam, copioſiſsimumque & propè totum in Theſſalonicen, inde vero tanquam Macedonicum effertur. Ac in vino falerno ſimile quid accidit. Ná quú in parua quadam Italiæ regione paucum generetur, ceu inde illud ipſum exiſtat, in omné Romanorum imperio

ſubie-

ſubiectam terram infertur, ita vt alia vina in ſimilis adulterationem ab huiuſmodi rerum peritis præparentur. Quod ſi vero eſtreaticum interim deſideres petroſelinum, nihilo peius tibi fore putato Theriaces medicamentum, ſi alterũ iniicias: non enim vt deleteriis medicamentis, aut virulentarum beſtiarum morſibus nõ adeo aduerſatur, ita etiam torminoſis, hydropiſis, imbecillibus ventriculis, & ſi qui ſint huiuſmodi affectus, minus ſuccurrit: quod tamen principaliſsimum Theriaces promiſſum nõ eſt. Reddit autem ipſum amariorem indubiè eſtreaticum petroſelinum, maxime ſi recens exiſtat. Differt autẽ ab aliis petroſelinis ꝙ vt acerrimum, ita quoq; amariſsimum eſt. At terebinthinã haud ſcio quo modo libycã Andromachus immittere præceperit, ea quæ ex Chio eſt poſthabita, quũ tamẽ ab omnibus prope modũ præponatur: quãquã & ex Lybia optimã cõmendẽ: nõ.n. quælibet eſt optima, ſicuti quæ ex Chio afferrur. Iã vero quæ in Pontica terra, & aliis quibuſdam gentibus præſtãtiſsima terebinthina reſina naſcitur: verũ Chia & odore & guſtu omnibus præcellit. Poſt commemorata deinceps Andromachus in

Theriaces compositione, scripsit: Gingiber & pentapetalon herbam,quod est quinque folium:medicamenta quæ neque adulterantur & omnibus sunt cognita. Deinde polii meminit omnibus noti, & quod nihil ipsi sit simile, obtinet:mox chamæpityos, de qua tantum me in oratione adiicere oportet, nempe quod in multis regionibus nascitur,quę & odore & gustu ei quæ in Creta proue nit præstat. Affertur autem nobis inde, vt etiam ij qui Cæsari medicamentum conficiunt,semper Cretensi vtantur:etsi in ipsa quoque Roma, in suburbiis,tum chamæpityn,tum chamædryn, offende rim,ijs quæ ex Creta feruntur odoratiores, vbi non multo imbre fuissent irroratæ. Præterea etiam hoc scire expedit,quod herbarum exCreta venientiũ, inuolutarumq; chartis, quibus superscriptum estvniuscuiusque herbæ nomẽ, nónnullæ quidem simplicem habent inscriptionem, nonnullæ verò cum additamento,campestris:inuenies autem cã pestrem generosiorem, etsi plurimæ herbarum quæ in campestribus locis generentur sint imbecilliores. Styracem constat iniiciendum esse, qui in arundinibus ex Pamphilia affertur,quique paucissi-

cißimus gignitur; & tanto diſcrimine à copioſo hoc ſtyrace euariat, quanto falernum vinum ab eo quod in tabernis venundatur. Cæterum ex ipſius genere capere oportet pallidißimum: conſtat autem & odore hunc eſſe valentißimum, & guſtu nihilo minus. Secũdum hæc nardi Andromachus commeminit, vt ipſe adſcripſit, eius quæ ex Galatia affertur, quam conſueto vocabulo, huiuſmodi rerum periti celticam nominant: confunduntur enim quodam modo hæc tria nomina de vna gente celtica prolata: vocant vtique nõ nulli Galatas, alij Gallos, ſed familiarius nomen Celtarum eſt. De ſubſequentibus in ſcriptura medicamentis partim ſanè prius dictum eſt, quem ad modum in lemnia terra, & milto: præſtat autem eam vocare non miltum, id eſt rubricam, ſed terram, eſt enim aliqua Lemnia rubrica in Lemno proueniens, alios ad vſus idonea, non tamen ad quos Lemnium ſigillum appellatum: verum de his quoque proditum eſt, quem ad modum de aliis, in opere de ſimplicibus medicamentis. Inſequentia medicamina propè vniuerſa & cognoſcuntur omnibus medicis, & dolum nõ

recipiunt. Quædam ipsorum manifestius indicantur in Theriaca quæ prosa oratione scripta est. Item hoc:

Cærule est spina lachrima.

Innuit enim acaciā ex Aegyptia spina nascentē. Itaque solū adhuc restat vt de thlaspi dicamus, quoniā & ferè quodcunq; iniiciunt, tum quod ex Creta affertur, tū quod vbiq; nascitur, quod colore quidē inter pallidum & flauum medio cōstat, figura rotūdum, admodum exiguum, vt milij exigua pars existat. Satius autem est id quod ex Cappadocia euehitur, immittere, quod colore ad nigrius permultū vergit, figura nō exacte rotundū, & magnitudine multo maius quā supradictum. Cæterū habet in quadam sui parte etiam veluti infractū quēdam exiguum, vnde etiam thlaspi nominatum est. Crescit autē sicut & hoc, ita alterum quoque in Cappadocia copiosum. Quare non omnino id quod affertur à Cappadocia optimū est, sed quod proprie in ea nascitur dissimile Cretensi, & quod diuersis terræ locis prouenit. Porro si etiam aliud quippiā nō perspicue satis elegiacis numeris ab Andromacho seniore dictū sit, id declaratum

tibi

tibi est, qui scripturam filij ipsius Andromachi prosaice expositā intelligas, quem ad modum & hoc:

Actaeo melle perungens.

Omnia, quæ misces theriacæ antido- to, id est melle attico, Centaurium itaque in scriptura ligata non distinctū est quale dicat: in pedestri vero, adiectum est tenue, eo quod & aliud centauriū sit amplum. Pari modo etiam aristolochię tenuis dictum est: nam alia quoque inuenitur procera radice: quem ad modum etiam tertia quædam præter has, est rotunda.

QVOMODO THERIACE præparetur.

Diximus etiam antea, eum qui medicamentum semel confici spectauerit, non amplius opus habiturum vt iterum, aut tertio inspiciat. Verum vt optima in singulis medicamenti generibus discernat, non semel, bis ve, & ter, sed admodum sæpe spectasse conuenit ea, quæ præstantissima in vnaquaq; regione gigni creduntur. Habēda itaque sunt etiā ad horum vsum præcepta, de quibus iam antea quoque egimus, verum etiam nunc paucis summatimque de omnibus tractabo. Radices quorūcunq;

fuerint vtiles, intentum habere corticem, non rugoſum oportet, id nanque macræ radicis eſt indicium. Fructus autẽ cum ſurculis germinibuſq; dictis, præcellentes multoſque, vna cum iis quæ fructibus adhæreſcunt. Semina quẽ ad modum etiam radices, plena, vegetave, ex cortice intento cognoſcuntur. Liquores ſuccique non exiccati tempore, neque inualidas ſinguli ſuas quiſque habere qualitates, & guſtu, & odore indicantur. Fructus itaque cum ſurculis, floribusque, calicibus & folijs, quæ in his ſunt, in Theriacen immittuntur, huiuſmodi herbarum, ſcordij, nepitæ, marrubij, ſtœchados, dictamni, polij, chamædrys, chamæpityos, hyperici, centaurij. Radices autem horũ, zingiberis, iridis, rheu, quinquefolij, coſti, nardi indicæ, nardi gallicæ, gentianæ meu, acori, phu, ariſtolochiæ tenuis. Semina autem medicamento iniiciuntur hæc: napi, petroſelini, thlaſpi, ameos, aniſi, fœniculi, dauci, cardamomi. Hæc itaque omnia tria genera ægyptiis pilis indere conuenit, quoniam duriſſimæ exiſtunt, ne quicquã inter contundendũ, ex ipſarũ ſubſtãtia iis quę læuigãtur, cõfricetur. Immittantur vnà cũ his

etiam hæc: pastilli scillini, pastilli theriaci, hedychroum magma, piper nigrũ, albũ, & longũ, rosæ siccæ, præterea agaricũ, crocus si siccus fuerit, sphragis lemnia, tosta chalcitis, amomum; cinnamomum, fistula casſiæ, balsami fructus, & lignũ acaciæ, præterquã si mollis sit & liquida, castoreũ, bitumẽ, quod Græcis ἄσφαλτος & masculino & fœminino genere dicitur: sed dictum mihi subinde est, huiusmodi ineptiarum rationem nullam esse habendam. Porrò myrrha & crocus vino macerata læuigentur siquidem tutius esse videatur, ipsum natura liquidum non contundere. Omnes autem liquores vino debent perfundi, vt & soluantur, & ad læuigationem fiant idonei, vt sagapeni, panacis, papaueris (quem & meconium & opium nominant) item acacia, quum liquidior tibi videatur, & tundi contumax sit: ad hæc hypocisthidis succus, & dulcis radiculæ. At thlaspi, & rapæ satiuæ semẽ, in prima cõfectione quẽ ad modũ videbam eos qui ante me præparabant, etiam ipse vnà cum iis quæ contunduntur in pilam indidi: deinde aliquãdo conspicatus corpori pilæ interno propter viscositatem adhærescere, volui

ipſa priuatim in mortario prius læuigare, ac deinde vinum eis ſuperfundere, vſquedum ad amuſsim tota diſſoluerentur, inde miſcere ijs quæ in vino ſeorſum commaduerant, detritaque erant. Ac thuris lachrimam præſtat per ſe in mortario leuiter conterere, ne dilateſcat: deinde vbi increueris, in promptu habere, vt inſpergas, ſi libeat, iis quæ ex vino læuigata ſunt. Gummi vero etiam macerare vino oportet, ideq; tum priuatim tum cum thuris lachryma in puluerẽ læuigare. Hæc quidem omnia quo dixi modo præparari debent, alia in mortario poſtquam pertrita fuerint, alia increta læuigataque arida. Quum autem omnia vniri debent, liqueſcant cum melle in vaſe duplici: prima ſanè reſina, mox ſtyrax, chalbanũq;, prius cõfracta contuſaque in pila piſtillis, aut vectibus ferreis ita vt mellis crudi momentũ inſtilletur: poſt hæc digitis noſtris dilatata, inijciatur etiã mellis nonnihil reſinæ liquefactæ, atq; ita rurſus operculo vaſi impoſito diſſoluãtur. Satius.n.eſt nõ amplius mel his iniectis commouere, ſed vaſe quod aquæ inſiſtit, operculato, coctionem moliri. His autem liqueſcentibus, im-

mit-

mittantur ex vino leuigatis arida, misce anturq; dum abunde crassescat, atq; ita paulo post liquefacta, iis quæ in mortario sunt, magno cochleari, tepida adfundantur, sic vt vir aliquis robustus, ipsa in vnitatẽ cogat. Posteaquam probe coierint, ac iam crassum quod ex eis oritur, appareat: superinijcere mel decoctũ mediocriter, & nimirum etiam despumatũ oportet: mox contritorum partẽ, deinde rursus mel, postea iam liquefacta miscere tepida, & omnia in grandi mortario, cochleari magno valenter cõterere, adiectis quæ ex aridis supersunt, item melle. Vbi vero omnia in mortario cochleari vnita fuerint, indere tunc pilæ oportet, & vectibus ferreis ad amussim puris, vt nihil æruginis obtineat, cõtinẽter tundere, illinendo vectes opobalsamo: nã lentore medicaminis detinẽtur, et ægre à tundentibus eleuantur. Quo igitur prompte opus absoluas, vectis extrema continuè opobalsamo perunges, in hoc ipsum totã eius portionem insumens. Præstaret autem in sole contundere: nam ita citius omnia in vnitatem coeunt: atque hoc vbi feceris, pilã, quæ medicamentum in se continet, obtegere conuenit, atque secundũ quatuor,

aut quinque dies, similiter in sole contundere, atque, id ex interuallo iterum atq; iterum, dierum sex aut septem vsque ad duos mẽses, aut omnino ad quadraginta dies facere. Hæc itaque ceu ad medicamenti virtutem scripta sunt omnia. Vt autẽ nigrũ ipsum euadat (hoc enim haud noui quo modo consuetum est, & qui hoc calore frustratur risui est) obseruare quidem oportet, scire autem, facultatem medicamenti nihil ex colore immutari. Accidit porrò coloris frustratio propter combustam chalcitidem flauescentem, ruffescentemq;. Etenim quanuis minima ipsius portio indatur, colorem tamen aliorum superat. Ne igitur in hoc ipso quoque aliquis falli videatur, animũ adhibeat iis quæ dicturus sum. Quatuor sanè in totum drachmas chalcitidis antidotũ recipit, verũ torrere multo copiosiorem, hoc modo oportet: Indito ollæ crudæ chalcitidis drachmas non pauciores quadraginta: deinde perustis carbonibus ollam impones sine operculo, quum medicamentum fusum fuerit, videasq; superuehi id quod leuissimum, & maximè spumosum est, statim tolles, & humi posito, non quemadmodum consueuimus interim simi-

liter

liter iis qui ignem excitant, inflare ipsi oportet: mirum enim quàm interea ruffus flauusq; color excellat. Sed neque in sole ponere cõsiliũ est, sed refrigerati capere quod spumosius insidet, nihil in se neque ruffum, neque flauũ, neque pallidum continens, deinde ex eo causa experientiæ sumens exiguũ læuigansq; spectabis num inter læuigandũ aliquis ex prædictis coloribus appareat. Si vero quale sumptum est, maneat porraceum aut cinereum colorẽ referẽs, ex hoc drachmas quatuor iniicere conuenit: tale siquidem exiguum in multo combusto reperies. Itaque necessaria ad antidoti compositionem & structurã, omnia iam sunt exposita. Verum quũ in eadẽ scriptura Damocrates & Crito nonnihil dissentiant, satius mihi visum est, etiam ab illis prodita tradere: ac prius Damocratis sententiam, quando quidem totum ipsius vsum manifesto descripsit, idq; numeris, vt assolet, quæ nõ solum quod facile teneri memoria, sed etiam quod pondera ac mensuræ in eadẽ adulterari nequeant, cõducit. Damocrates itaque libro quo antidota tradit, à communi ipsorum vsu, & Theriaces specie hunc in modum incipit.

Antidotos confert praeparatas condere.
In primis ad horrenda deleteria,
Quorum videntur inuenta esse nomine.
Hae pharmacis aduersantur letalibus,
Si praebeas antea suspicantibus
Ne pharmacum quis inter cibum sumat.
Post vero, si quis letale quicquam putauerit simul
Sumpsisse in cibis, hic prorsus omnibus
Vomitu reiectis, bis, terve impera eã dari,
Quum manserint maligni signa pharmaci.
Item valet antidotus serpentibus malis,
Et bestiarum virulentis morsibus
Hydri, cerastae, dipsadis, sic aspidis:
Et viperae, & canis quum rabies occupat.
Sunt nanque morsus horum valde noxij,
Et quae mari degunt: simpliciter omnium
Mittentium virus, eorum quae vocant
Insecta, vespae, scorpionis, atque apis,
Item phalangij nocentis plurimum,
Aranei muris, denario amplius
Prodest antidoti, vel nux quantum cõtinet
Mixtis meracioribus cyathis † decem.

Alias tribus.

At morsibus malignis non satis semel
Offerre antidotum, sed dabis frequentius,
Si tu metus ex toto cures tollere.
Idem propina vitia aduersus omnia, &
Morbos qui spatio prauũ prebent corpori
Habitum, ad febres redeuntes; item tẽpore

Longo rigore's harentes, doloribus
Qui conferunt locorum abscessus princi-
pum.
Item valet vuluis distentis flatibus,
Aut qui coli, vesicæ, renum, sentiunt
Longos dolores cum vlcere, aut cum calcu-
lis.
Et si iecur negotium præbet, dabis
Rite, frequenter sanguinem educentibus
Ex pectore, feculentum & pus reddētibus,
Ex qua id feratur parte, vel ex pulmonib⁹.
Ad hæc quibus rupta aut quadam vuulsa
intima.
Præbebis ipsis: nam dolores & metum
Tolles: etiam quis haud prompte coquitur
cibus
Quantumuis exiguus: acescit autem proti-
nus.
Necnon propina quos cogit profectio
Longinqua aquis vti longe deterrimis,
His antidoti quantum tres pendent oboli,
Aquæ calentis cyathos tres, aut quatuor,
Horis ante cibum ternis da vel pluribus,
At qui male vesica habent, aut sanguinem
Spuūt: aut stomachi lāguescunt vlceribus,
Ex passo antidotū temperatum præbibent.
Et pectoris quos fluxiones totius
Cruciant, fasciculum polij decoquens aqua,
Præstiterit antē cretici, aut scythici magis.
Aut

Aut Pontici potius, nam sistes rheumata,
Ternis (ut ante dixi) cyathis offeres.
Quidam doloribus permagnis aurium,
Passo subigentes cretico, meatibus
Per quos facultas audiendi spargitur,
Lanam antidoti liquore irriguam collocãt.
Porrò bonum cui antidotum cura est reddere;
Is cunctas habeat misturas siccas probe,
Et Theriacum elaboratum (sicut vocant)
Pastillum, ita paratum, ut indicabimus:
Nam constat hic bonis mistura pharmacis.
Aestate veras prima sumis viperas
Captas recens. notanda magnitudinis,
Easq; viginti, aut paulo plures item:
Hoc nanque non erit nimis medicamini.
Quum praeparas, tres digitos amputa caput,
Pauloq; caudam magis, hanc post, illud prius.
Sed aggredi istud donec vivunt, convenit.
Hinc cute detracta ut anguillis facillime
Totam eximies ipsarum pinguetudinem,
Ac posteaquam laueris, dimittito
Olla, & mediocrẽ anethi fasciculum aridi,
Affuso aqua quod ipsis sufficit, incoque
Donec caro relinquat ossa proptius.
Et fictili remoto ab igne, condito
Carnem ossibus purã, pari addẽs pondere.

Pa

Panem triticeum ex polline purum tritum probe,
Pauxillulum decoctionis insculi
Fundens super, pastillos tenues fingito.
Siccato & orbiculis theriacis utitor.
At scillinos hoc rursus effinges modo:
Magnam albamq; cum meßis iam instat:
Accipe scillam toto purgans cortice,
Omnem eximens radicẽ lignosam undique
Circunlitamq; massa tritici, clybano
Ipsam reponas, quum vero coctam probe
Putaueris. tunc libra pondus sumito,
Huic iungito tenuißima libram semis
Erui farina paululum retorridi.
Ac lauigans subtiliter statim pilas
Effinge tenues admodum, siccas, ubi
Libet recondes. ne talis sit mistio
Ignota Theriaceq; dicta persequar,
Vt usum quoque fuisse Mithridatẽ ferũt,
Quum bibere medicamenta cum neceßitas
Omnis, nocua cum liberis bellantibus,
Nullius ipse noxa sensum pertulit,
Sed ense detruncatus vitam perdidit,
Gnata vero potu interierunt pharmaci.
Ipsam parabis sic: Scillinorum orbium
Drachmas viginti bis (aliàs bis quatuor)
Sed orbium theriacorum bis duodecim,
Nigriq; piperis, opij, & sicci magmatis,
Quod hedychroa quondã vocabat unguina

Bis

Bis singulorum duodecim denarios,
Radiculæ dulcis succi, aridæ decem
Atque insuper duas, rosæ siccæ pares,
Et cinnamomi, ad hæc opobalsami boni
Atque ireos præterea, quam dat Illyris
Aequale pondus, agarici albi; seminis
Napi, vniuscuiusq; drachmas duodecim
Et scordij tantundem cretici addito.
Myrrhæ, croci, rheu, petroselini, stœchados,
Siccæ calaminthæ, quinquefolij, præter hæc
Radiculæ, atque globulorum seminis
Marrubij, piperis albi, & longi, & indicæ
Nardi spicæ: thuris, necnon terebinthinæ,
Costiq; candidi; dictamni herbæ, insuper
Iunci rotundi floris, zingiberis pars
Sicci, non rosi, nigræ casiæ corticis
Bis singulorum ternæ drachmæ pondere.
Polijq; & pontici: phu, necnon thlaspeos:
Chamædryos, præterea styracis, commeos
Et gentianæ, & acori meuq; insuper
Et cardamomi, sic fœniculi seminis
Hypocisthidis succi, tostæ chalcitidis,
Cretensis hyperici adde seminis, simul
Succi acaciæ, humidæ, nardiq; gallicæ
Puræ: sphragidisq; lemniæ, chamæpitys,
Ameos, seseleos, seminis retorridi
Anisi, amomi vuæ, foliorum malabatri,
Impone drachmas singulorum compares
Duas, & totidem balsami fructus quoque.
Sed

Sed nō probe aliqui singulis dant quatuor,
Opoponacis lachryma, praeterea galbani,
Dauciq; purgati Cretensis seminis,
Et castorei, sagapeni iungito noui.
Centaurijq; cretici non recentis
Aristolochiaq; tenuis sicca probe.
Horum vniuscuiusque drachmas bis duas,
Aequales pondus ponito bituminis:
Sunt qui duas cuiq; dent: quod displicet.
Frequēter ipsam veluti scriptum est, cōdidi:
Vini falerni mediocrem modum; boni
Mellis recentis attici libras decem.
Nonnulla at horum succi, quadam semina:
Sunt folia quadā, & lachryma, aliqua radicula,
Ipsorum minima & in metallicis inuenis.
Succos itaque cum lachrymis & metallicis
Vino teras, dum crassitudinem vides
Mellis, reliquā coniunges omnia arida,
Contusa, tenui increta cribro protinus,
Mixtisq; exacte, mel adijcias postea
Bis terve feruefactū, vbi rursus rigaueris,
Reponito non ligneis, verum magis
In vasis vitreis, corneis, argenteis,
Et stanneis & figulinis densis
Da potioni, nec recens factum nimis,
Nec rursus medicamētum quod peraruit:
Sin longiori hoc fuerit spatio temporis,
Subferuefacito rursus, addens paululum

Mel-

Mellis, simulq; abunde temporis terens,
Tādemq; habebis vtile, quod valuit nihil,
Sed inferius eo quod miscueris semel.

Theriaces Alterius Confectio

Quod itaque nōnulla cū Andromacho discordant. Damocrates ipse indicauit

Sed nō probe aliquid singulis dăt quatuor.
Atq; iterum,
Sunt qui duas cuique dent, quod displicet.

Qđ aūt & manifestius dictū sit ijs quę Damocrates ꝓdidit, hoc quoq; cōstat: verū quū alia ipsius Theriaces cōpositio numeris perscripta apud me habeatur, visum est mihi & illā ascribere, iuxta cōmoderationē medicamīnū eam ingredientium, eo quod clarior compendiosiorq; modo traditis existat.

Theriacen ratione aliquis cōtemperet ista,
Dauci equidē fructus: panacis liquor, atq; bitumen,
Et sagapenū itidem, tum galbana rursus, & ammi
Cum tenui terra malo, cum castoris ipso
Testiculo, atq; coma cētauri pondera sumēt
Aequa, duplū styracisq; ameosq; & anisi,
Phu, polijq; comæ pariter, meūq;, acoriq;,
Atq; chamæpityos, foliorum itidem malabathri,

Spragidis ex Lemno, mox chalciteos, hypocistis
Flanētis, ſucci, gūmi, & quā Gallia donat
Nardi, præterea tenuis thlaſpi atq; perinde
Seminis ex ſeſeli, marathri quod Creta miniſtras
Et cardamomi, drachma cuiuſq; parātur
Quatuor, at myrrhæ & praſion, cū ſtæchade coctus
Dictamnus, ſenas capient hæc ſingula drachmas.
Quinetiam piper oblōgum, album, præterea rheu,
Atque crocus qui coryceo deſertur ab antro
Quinque ſimul folij radix, & iunc° odor°,
Et nepita, drach. æquales, & terebinthi
Reſina accipiēt, nardi ſimul indica radix,
Fiſtula iam caſia, infectū thus, petroſelini
Montani tenuis ſemē, ſex ſingula drachmis
Iunge, modo verum duplicato ſcordion addes,
Et rapæ ſemen ſilueſtris & iris odora. &
Sicca roſæ folia agaricū ſuccus glycyrizæ.
Balſameusq; liquor, cinamomum, zingiber ardens
Bis ſenas capiēt drach. & mamatis eſto
Bis tantū hedychroi, piperisq; nigri, inſuper orbes
Theriaci æquabunt opium, hos bis vince-

re debent
Pōdere scillini, & cūctis mel desuper adde.
Hedychroi vult magma mari binas sibi drachmas,
Aequales & amaraci habēs, asari, aspalathiq;,
Et iūci teretis, calami qui suauis odore est,
Phu ponti, ligni & succi quē balsamō adit,
Tres sunto drachmæ, totidē costi: cinnamomi
Myrrhæ sex alias misces, folij malabathri,
Indorū nardi: flauiq; croci insuper æquas.
Quinetiā casiæ totidē, sed pondus amomi
Sume duplū, drachmam chiæ, sed mastiche habebit,
Hæc vino debent conspergi cuncta falerno

Reliquum esse mihi videtur, vt tota de Theriace disciplina absoluatur, subijcere in quibus Crito vel à prius descriptis nonnihil dissensit, vel aliquid ex ijs quæ omissa erant addidit.

QVAE CRITO DE THERIACA in tertio medicamētario libro memoriæ mandauerit.

In medicamentorum symmetria, & ipse nigri piperis drachmas vigintiquatuor quem ad modum longi senas, immittit. Cæterum chalcitidis vstæ drachm

chmas quatuor, mellis ætrici drachmas decem imponit: feras autem vere desinente in ęstatem, aut medio autumno, quod tempus trygetũ dicunt, id est vindemiæ tempus, colligere præcipit: cauẽs nimirum & æstatem post initium totã vsque ad caniculę exortum. Item quod hoc tẽpus subsequitur, nonnulli id proprie vocant oporam, quum fugaces fructus eduntur, & bilis hominibus copiosissima suboritur. In trygeto autẽ, quod est autumni medio, colligẽdas censet, capiendasq; ex ipsis grandes & bene habitas, quæ cum anetho solum incoquantur. At carnem ipsarum decem accumulatam panis siliginei vncię misceri vult, atq; ita pastillos theriacos effingi. Scillinos autem hoc modo cõfici iubet: scillam, quum triticum metũt, (tunc enim potissimum viget) accipere consulit, deinde torrere ipsam abunde in clybano, illitamq; gypso aut luto igni cõdere, vsque dum satis tosta fuerit. Postea vbi exemeris, medullam ipsius sumere ac leuigare, miscendo erui partem vnam scillę duplicatę, inde pastillos fingere, & in vmbra refrigerare. Porrò de ijs quę in pila contunduntur medicamentis accurate scripsit, dũ pellem pilę tuto circun-

ligari iubet,iuxta medium tantillo fora mine patefcenti,vt non folum contundens piftillum per id pofsit demitti, fed etiam vbi piftillum fuerit fublatum,manus cũ cochleari, vt quod contufum eft & incerni defiderat per ipfum eximatur. Oportebit autem aliam quoque pellem inquit,circumijci,minori per viam fora mine,qua folum piftillũ demittatur ad ea quę pilæ infunt,contundenda; atque hæc priori ex fuperna parte inijci debet. Item non ftatim ipfa detegere cõuenit prius,quàm pulueruIenta portio fubfiftat,fecundum hæc, dum cribro difcernimus,id quod cõtufum eft fuperne iubet obtegi,ac quum motus conftiterit tũc adaperiri,poftea cribrũ fublatũ pennis abftergi.

GALENI DE ANTIDOTIS LIBER ſecundus, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

POſteaquam de Theriaca toto priore libro tractatum eſt, breuem, compendioſamq́; orationem aliæ antidoti requirunt, quas impræſentiarum perſequi inſtituimus, à Mithridatia auſpicati: quodquidem ad pleraque deleteria medicamenta eſt efficacius: in viperæ autem morſus curatione, Theriaca inferior. At quoniam tum hanc, tum optimas ferè quaſque andromachus ordine prodidit in eo libro, quo de his quæ intra corpus aſſumenda ſunt, agit, idcirco ego quoque omnes eas, illius modo deinceps adiungam.

Andromachi Antidota.

Antidotus Mithridatia ad letalia peculiariter efficax, internoſque affectus omnes. Dulcis radiculæ drach. vij. ſemis, & quaterni oboli. opij drach. iiij. oboli ij. caſtorei drach. vj. polii drach. v.

oboli.ii.costi drach. v.oboli.ii. spicæ nar di drach.vi.oboli ii. casiæ drach.v.oboli.ii.thuris drach.vi. seseleos drach. v.oboli ii.hypocistidis succi drach. vi. acori drach. ii.scordii drach. vi. oboli.ii. folii drach.iiii.†gallii drach.v. oboli.iii. (alii drach. vi.) cypheos drach. vi. oboli ii. myrrhæ drach.vi. croci drach. vii.oboli ii.cinamomi drach.vii. oboli ii. styracis drach.v. oboli iiii. dauci seminis drach. vi.oboli iii.zingiberis drach.vii.oboli ii. phu pontici drach.ii. petroselini drach. iiii. oboli.iii.nardi gallicæ drach.iiii.fœniculi seminis drach.iiii. nardi indicæ drach.iiii.hyperici drach.ii. acaciæ drac. ii. gentianæ drach.iiii. (alii drach. ii.) anisi drachmæ iii. thlaspi drach.vi.oboli iiii.meu athamantici drach. iiii. (alii drach. ii.) rosarum siccarum drach. iiii. gummi drach. ii. cardamomi drach.iiii. (alii drach. ii.) iunci odorati rotundi drach. vi.oboli ii. opopanacis drach. vi. oboli ii.opobalsami drach.vi. oboli iiii. chalbani drach. vii.scinci drach.ii. oboli resinæ terebinthinæ drach. vi. oboli ii. vini chii quod satis est, mellis attici cocti quantum sufficit.

Aliàs solis legitur pro gallij.

Aliter Mithridatia, vt Antipater & cleophantus. Myrrhæ drach.vii. semis, oboli

oboli iiii. (alii tres) spicæ nardi tantundem, †croci drach. vii. oboli iii. castorei drach. vi obolus i. cinamomi drach. vii. oboli tres, polii drachmæ sex, oboli tres, scordii drachmæ septem, oboli tres, zingiberis totidem: costi drachmę sex, oboli tres, piperis albi drachmæ quinque, oboli duo, piperis longi drachmæ sex, oboli tres, †dauci seminis drachmæ sex, oboli tres, casiæ drachmæ quinque, oboli tres, thuris drachmæ sex, oboli ii. hypocistidis succi drachmę sex, obolus. i. S. nardi gallicæ drachmæ quatuor, fœniculi seminis drachmæ quatuor, foliorum malabathri drachmæ iiii. acori, phu pontici, sagapeni, balsami fructus, hyperici, iridis illyricæ singulorum drachmæ duæ, terræ lemniæ drachmæ sex, cypheos, scinci lumborum, singulorum drachmæ sex, acaciæ, gūmi cardamomi, pelecini, singulorum drachmæ ii. thlaspi drachmæ sex, oboli quatuor, gentianæ drach. iiii. (alii tres) anisi drach. iiii. rosarum siccarum drachmæ quatuor, meū athamantici tantundem, iunci odorati rotundi drachmæ sex; oboli tres; ⁎ opobalsami tantundem, aristolochiæ drach. vna, hyssopi drachmæ tres, marrubii drachma vna

† Ex vetusto codice hic addendasunt opij drach. septem oboli duo Styracis drac. quinque.

Ex Aetio & ex vetusto codice hæc addēda sunt seselis dra. quinque oboli duo, petroselini drac. quatuordecim

⁎ Vetust' codex hæc addit opopanacis drac. sex, chalbani drac. sex.

chamæpitys drachmæ tres, rorismarini drachmæ quinque, resinæ terebinthinę drachmæ sex, oboli tres, mellis attici quod satis est, vino non addito.

Antidotus Orbani, Indi dicta, ad interiores fœtus excutiendos. Myrrhæ drachmæ v. croci drachmę sedecim, nardi indicæ drach. sedecim, cinamomi, cassiæ, panacis, singulorum drachmæ tredecim, amomi drach. octo, scordii drac. vigintiquinque (in alio exemplari drachmę quinque habentur) iunci odorati rotundi floris drac. octo, meu athamántici drachmæ tres, rosarum succi drachmæ duodecim, oboli tres, hyperici drachmæ quinque, zingiberis drachmæ sex, piperis drachmę sex, piperis albi drachmę octo, styracis drachmæ quinque oboli tres, fœniculi siluestris seminis drach. tres, oboli quatuor, piperis longi drach. quinque (alii sex) costi drachmæ septem, oboli tres, trifolii seminis drachmæ quinque, gentianæ drachmæ quatuor, aristolochiæ rotundæ drach. iiij. polii drach. v. trifolii radicis drach. v. oboli. iij. cardamomi drach. v. echii radicis drach. iiii. thuris drach. vi. petroselini drach. vi. verbasci drach. vi. seseleos drach. v. cumini æthiopici drach.

iii. balſami fructus drach. iiii. nardi gallicæ drach. vii. terræ lemniæ drach. iiii. lachrymæ papaueris drach. iiii. oboli iii. cachreos ſeminis drach. iii. cypheos drach. iiii. iridis illyricæ tantundem, mandragoræ ſucci drach. vi. oboli iii. ſagapeni drach. iiii. opopanacis drach. iii. aniſi drachmæ iiii. hypociſtidis ſucci drach. vi. reſinæ terebinthinæ drach. v. oboli iii. caſtorii drach. v. opobalſami drach. xvi. rutæ ſilueſtris ſeminis drach. iii. chalbani drach. iiii. napi ſeminis tantundem, medullæ cerui drach. vi. oboli. iii. vnguenti nardini drach. viginti, ſanguinis hœdini ſiccati drachmæ quinque, oboli tres, & anſerini ſiccati tantundem, anatis ſanguinis drachmæ tres, & totidem oboli, buphthalmi ęgyptij ſucci drachmæ octo, vini chii ✶ athamantici quod ſatis eſt.

Athamantici hic mē doſe legitur, alij igitur mellis apici legunt alij aqua marina impermixti, mihi tamen prior lectio placet magis.

Antidotus Panacia qua vtor, non parum efficaciæ promittens, ex commentario Aphrodæ.

Cinnamomi drac. viii. amomi drac. iiii. caſsiæ fiſtulæ nigræ drach. xvi. croci totidem, iunci odorati rotundi drachmæ quinque, thuris drachmæ quin-

que, piperis albi drachmæ quatuor, oboli tres, & longi drachma vna, oboli tres, myrrhæ drach. vndecim, oboli duo, nardi indicæ drachmæ vndecim, oboli quatuor, nardi gallicæ drachmæ sexdecim, oboli duo, rosarum siccarum drachmæ sex, costi drachmæ duæ, oboli tres semis, opobalsami drachmæ quatuor, oboli duo, liquoris cyrenaici dra. tres (alii quatuor semis) stœchados drach. quinque, oboli duo, trifolii radicis drachmæ quatuor, vel seminis drachmæ tres, scordii floris drachmæ vndecim, oboli duo, polii cretensis drach. sex, oboli duo, asari drachmæ duæ, acori drachmæ tres, oboli tres semis, dauci seminis tantundem, anisi seminis drachmæ duæ, cumini æthiopici totidem, rheu pontici drachmæ quinque, oboli tres semis, napi siluestris seminis drachmæ tres, vel rapæ satiuæ seminis tantundem, phu pontici drachmæ duæ, mellis cocti quod satis est.

Antidotus incomparabilis, me authore, ad omnes interaneos affectus efficax, vt Nicostratus composuit. Dulcis radiculæ, malabathri folii, opobalsami, agarici, cinnamomi, singulorum drachmæ tredecim, zingiberis, trifolii seminis, amomi,

momi, rutæ ſilueſtris ſeminis, iuniperi baccarum nõ maturarum ſiccarum, ſingulorum drachmæ quindecim, petroſelini drachmæ octo, lachrymæ papaueris totidem, caſtorei, piperis longi, hypociſtidis ſucci, cypheos, ſingulorum drachmæ duodecim, oboli duo, polii, piperis albi, ſeſelis, bdellii, ſingulorum drachmæ quindecim, obli tres iunci odorati rotundi floris, coſti, ſingulorum drachmę duodecim & ſemis, dauci ſeminis, thlaſpi, ſingulorum drach. xiii. ſpicæ nardi drachmę vigintiquatuor, caſsię nigræ radicis drach. xvi. thuris, panacis, opopanacis, ſingulorum drach. xii. acori drach. v. ſcordii drachmæ ſeptendecim, fœniculi, nardi gallicæ, gentianæ, roſarum floris, gummi liquoris cyrenaici, cardamomi, guttæ ammoniaci, echii radicis, aparinæ ſucci, ſingulorum drach. viii. ſagapeni, hyperici, acaciæ ſucci, iris illyricæ, ſingulorum drachmæ quatuordecim, myrrhæ ſtillatitiæ drachmæ viginti, croci drachmæ triginta, ſtyracis, ʒ xi. oboli duo, phu, meu, dictãni, napi ſeminis, calami aromatici, ſingulorum drachmæ octo vel decem, aniſi, aſari, agarici, ſcinci, ſingulorum drachmæ ſex, reſinæ terebinthinæ dra-

chmæ

chmæ quatuordecim, oboli quatuor, chalbani drachmæ quinque, anatis fœmellæ sanguinis, hoc diui sanguinis singulorũ drachmæ septem, piperis nigri, piperis longi, singulorum ʒ. xxiiij. crocomagmatis totidem, quinque folii radicis, origani siluestris, marrubii, sthœchados, ameos, chamædryos, chamæpityos, centaurij tenuis, aristolochiæ tenuis, singulorum drachmæ sex, lemnii sigilli drachmæ triginta, anserini sanguinis, testudinis marinæ, rheu pontici, singulorum drachmæ septem, mellis attici, quod sufficit. Bibitur fabæ instar ex aqua: efficax est etiam ad quartanã febrem. Item valet ad letalia, vt alia nulla antidotus.

Antidotus Ælii Gaii, quo Cæsar similiter vt Charme vsus est, valet ad letalia & virulenta: quam si vbi sint serpentes insperseris, eos fugabis: facit ad omnem oculorum fluxum & reliquarum partium, eum desiccans, tristes animi affectus soluit, febres longas, & circuitu remeantes. Salutare est etiam in mulieribus quæ ægrè purgantur: fœtus sine molestia expellit, facit etiã phthisicis, auellanæ nucis instar, datur cũ quaternis aquæ cyathis exhibitum, in vipe-

ræ morsibus cum vino. Myrrhæ drachmæ duodecim, croci drachmæ quatuordecim, nardi drachmę quatuordecim. iunci odorati rotundi drachmæ duodecim, cinnamomi drachmæ duæ, amomi drach. iiii. (alii ✠ duę) chalbani dra. xi. resinæ terebinthinæ drach. v. piperis albi drach. x. & longi drachmæ triginta duæ, costi drach. viii. thuris drachmę duodecim, lachrymę papaueris tantundem, scordii drachmæ quinquaginta, in alio octo, polii drach. iiii. hypocisthidis succi drach. xii. petroselini drach. xviii. seselis drach. xiiii. dauci seminis drachmę sedecim, opobalsami drach xii. opopanacis tantundem, castorei drach. viii. mellis attici sextarii. ii.

Antidotus zopyria Cinnamomi dra. iii. myrrhæ stillatitiæ drac. v. nardi dra. v. datur ad nucis auellanæ magnitudinem, cum ternis aquæ cyathis, ad annum. Has itaq; antidotos commemoratas omnes Andromachus prodidit: quia vero numeris comprehensa, ad exactam ponderum in medicaminibus conseruationem, memoriamq; vtilissima sunt, ideo etiam quas Democrates notatu dignas antidotos literis mandauit, deinceps subdidi, à Mithridatia auspicatus.

Antidoti

Acoriq́; , phu, sagapeni quoque drachmæ pares.

Athamantici meu, necnon acaciæ,

Scinciq́; ventris, hypericiq́; seminis,

Horum omnium æquæ singulatim erunt duæ

Drachmæ semis, vini modicum, mellis itidem

Modicum, inuicem hæc omnia isto pacto præpara.

Quoniam vero Cypheos meminit Damocrates, quod & ipse conficit, rectè fecit, qui id quomodo pręparari debeat, infra adiecerit.

At cyphi non est vlla simplex mistio,
Nec terra quæpiā istud fert, nec est liquor.
Aegyptii confectum quo dicam modo
Diis propitiandis offerunt suffimine.
Albam passam capis vuam pinguissimā,
Et corticem semenq́; totum huic eximis,
Carnem ipsius perlauigatam insigniter
Bis duodecim cōstituunt drachmis atticis,
Terebinthinæ crematæ ponunt totidem,
Myrrhaq́; duodecim, cinamomi quatuor,
Iunci rotundi duodecim, vnum sed croci,
At vnguium bdellii tres, aspalathi duas
Semis, spicæ nardi tres, casiæ tres bonæ,
Et cyperi tres, necnon & pinguium
Et grandium baccarum iuniperi sint tres

Odori

Odori calami, drachmæ sint nouem
Mellis modicū, vini pauxillulum quoque.
At bdellium, vinum myrrham, mortario
Demitte, leuiga, dum spißitudinem
Mellis liquidi accipiant, melle superaddito
Vnam comminuunt, deinde factæ leuia
Hinc vniuersa sumunt, atque orbiculos
Fingunt exiguos, diis hinc dant suffimina.
Rufus vir optimus & in arte exercitus,
Illo parandum sanè prodidit modo.
Quidam carentes cinamomo tantum in vicem
Pondus locant ex cardamomi semine.
Vtuntur vt priori mistura quidem,
Verum vlceratis, iecore, vel pulmonibus,
Aut viscere alio: nonnulli dant potui
Ex antidoto, quantum pendet denarius.

Quoniam vero aliarum quoque antidotorum insigniū meminerit Damocrates, satius visum mihi est illa quoque propter eundem vsum numeris ab eo conscripta exponere. Quo modo igitur Theriacam dictam componat, priore hoc libro indicaui: impræsentiarum subsequentes eam ordine persequar.

Aliud valde bonū, ad phthisicos diutinos.
Et sanguinem educentes, & cæca febri
Pressos

Pressos, & imbecilli pectore praeditos,
Et quos stomachus, iecur, renes habent ma le,
Et omnibus, quae retuli prius, valet.
Delicatoribus blandum magis, at efficax
Minus. Libēter hac Augustū praedicant
Vsum, breui consanuisse tempore
Quum affligeretur lateribus, cum pectore,
Hac suscipit, rubentis casiae, psyllij,
Nardi spicae, & purgatae quā dat Gallia,
Et cinamomi, ad hac croci noui capit
Denarios duodecim, opobalsami decem,
Myrrhae arabicae stactae multo crassissimae
Bis octo, odori iunci tenuis, lemniae
Terrae bonae, rheu pontici, atque seminis
Rutae, quam satius est siluestrem sumere,
Probiq; amomi, siccatae tantum rosae,
Et candidi piperis, & napi seminis,
Hoc autem erit siluestris non domestici,
Denarios quaternos singulatim omnium,
Thurisq; ternos, dictamni tres cretici
Sicci, sed admodum recentis, seminis
Cumini totidem thebaici, tunsa reliqua
Incerne subtili cribro, sed psyllium
Multo plus pilae inde, & solum tundito,
Vt quantumuis sumas: nam tenue totum
Nemo reddat: hoc ipsum pacto confice:
Stacten bonam ampliori indes mortario,
Vini falerni pinguis fundens desuper

Parum, atque modice lænigato, opobalsamo
Mixto, perliquidum hoc commodum est, cuncta arida
Addens, combibere medicamen parum sinas,
Mel feruefactum bis terve superfundito,
Ac vniens antidotum condes pyxide.
Qualem superius paulo tibi recensui:
Aduersus similes affectus item dato.

ALIA NIMIS BONA AD QVAE prædixi omnia.

Planè seruit ad flatus qui diutino
Infestant stomachum tempore hæc præstantius,
Molestos semper intestinum strepitus,
Coli atque ventris, visum affert senibus acrem
Et morsis à feris est hæc vtilissima.
His præpara misturis id medicaminum,
Cyrenaici boni liquoris ponito
Denarium, acori, phu, castorii, & asari,
Et cardamomi seminis, atque gummeos,
Succique acacia præstantissima, iridis,
Puri sagabeni, hyperici necnon cretici,
Cunctosque horum binos plenè denarios,
Opobalsami denarios tres lucidi,
Huic postulat persimile pondus psillium.

Albique

Albiq; piperis, petroselini, gallica, &
Nardi spica, malabathri foliorum noui,
Aethiopici necnon cumini seminis,
Athamantici meu, amomi insuper boni,
Papaueris liquoris, gentianæ, & balsami.
Cuiusq; pones drachmas pondere quatuor,
Quini styracis denarii cum obolis tribus,
Costiq; candidi, seseleos, thlaspeos:
Nigellæ casiæ, singulorum mittito
Denarios quinq;, duosobolos insuper,
Iunci rotundi, polii quoque denarios
Quinos, tres obolos, dictamni tot cretici,
Aequale dictis pondus optat scordium,
Oblongi piperis, thuris atque lemniæ.
Myrrhæ, glycyrhizæ, chalbani, terebinthinæ,
Et sanguinis sicci anatis occisi recens,
Opopanacis, necnon fœniculi seminis,
Siccarumq; rosarum foliorum, hypocisthidis,
Dauciq; cretici purgati seminis,
Insuper anisi seminis, scinci, agarici,
Cuiusq; simplicis bis ternos ponito,
Et zingiberis persiccati probe, croci,
Et cinnamomi octonos fac denarios,
Mellis probati pondus duplex indito
Cunctis, boniq; vini Chii quod satis,
Falerni aut veteris tantundem coniungito:
At confice ipsum, vti antea prædiximus,

Parandam antidotum theriacen dato omnibus
Quis illud affectibus offerri dixeram.

ALIA EX SANGVINIBVS, QVAM dicunt quidam cæteris amplius ad venena conferre.

Hæc recipit: anserini sicci sanguinis
Drachmas duas, marinæ tot testudinis,
Item tot anatis, necnon hœdi sanguinis,
Videtur autem melior anatis fœminæ,
Stactæ arabicæ crassissimæ drachmas decem,
Nardi spicæ pares myrrhæ & denarios,
Et cinnamomi drachmas bis ternas boni,
Rosæ foliorum siccatæ bis quatuor,
Iunci rotundi, thuris, costi vnam capit
Cuiusque drachmam, tres amomi, & candidi
Piperis, oblongi sed piperis vnam semis,
Verum croci bis sex, casiæ bis quatuor,
Quinas trifolij radicis, polij pares,
Opobalsami tres, petroselini quatuor,
Et pinguium iuniperi baccarum, & acori,
Rheu pontici, meuq́ꝫ, dictamni duas.
Hoc est cuiusq́ꝫ binas, phu simul duas,
Ammoniaci suffiminis denarios
Duos, fœniculi tot, agarici duos semis.
Saxatilis rutæ ternos, dauci duos,

Ani

Anisiq́ꝫ, asari, ameos, cumini seminis
Thebaici, vnam semis singulorum, seminis
Napi adde siluestris tres, verum scordij
Quod Creta orbi praestat, quinos denarios,
Mellis probati duplex pondus indito:
Detrita cuncta quae praediximus nuper,
Et mersa cocto melle, vasis condito.

Post antidotos hucusque conscriptas, Mithridatiã scripsit Damocrates, quam paulo ante ego apposui. Ea praetermissa, quem ad modum deinceps scribit, adijciam.

Quam nominant antidotum recentiores
Charmen, diutinis prodest affectibus,
Ad quos nihil medicamenta alia promouent,
Myrrhae capit meriti primi, atque opobalsami,
Hypocisthidis succi, necnon thuris boni.
Opapanacis purgati, item croci boni,
Cuiusq́ꝫ istorum duodecim denarios,
Costiq́ꝫ candidi, castorij pontici,
Terebinthinae purae, iunci teretis pares
Denarios cuiusq́ꝫ horum bis quattuor.
Vuaeq́ꝫ amomi quattuor, polij pares,
Et cinnamomi quattuor rursus boni,
Sed cretici dauci bis ternos seminis,

Parem modum receptat seseli: seminis,
Rubentis casiæ corticis itidem octodecim,
Et petroselini seminis drachmas pares,
Longi piperis viginti quattuor noui,
(Nam quod vetustum, carie absumptum repperis)
Albi decem, purgati chalbani decem,
Nardi spicæ senas bonæ & drachmas decẽ.
At bis viginti & quinos cretici boni
Necnon recentis scordii denarios,
Sed mellis aridis pondus triplum omnibus.
Hanc præparato in quem prius docui modum,
Alias facultates, ita etiam porrige,
Hanc antidotũ vendebat Charmes Atticis
Drachmis mille, nec totam libram dabat,
Emptoribusq; gratis putabat dare.
Et Charmidis familiaris dignus fide
Hanc dictabat scripturam longe optimam,
Nardi spicæ indicæ octo bis denarios,
Myrrhæq; probatæ, lachrymæ quoq; papaueris,
Hypocisthidis succi, ad hæc opobalsami,
Opopanacis puri recentis, insuper
Et castorei, atque thuris singulatim omniũ
Pares duodecim, sed quaternos chalbani.
Terebinthinæ quinos, poliiq; quatuor.
Bonæ sed nigræ casiæ bis quatuor,
At albi piperis binos, sed longi vnicum

Denarium & duos obolos, croci decem
Coricij, & iunci vnam & bis quatuor
Drachmas odori, amomi drachmas quatuor,
Duas cinamomi, seselis totidem seminis.
Sex cretici dauci, nouenos seminis
Bis petroselini, scordis bis quatuor
Drachmas coma, bdellij vnguis drachmam lucidi,
Mellisq; libras quinas & paulo magis,
Sic prapara solutis iam liquoribus,
Et melle calido resina fusa probe
Cribrata cuncta aliis asperges arida:
In vnitatem sic coactis omnibus,
Dabis rogantibus instar nucis pontica.

ALIVD.

At si voles tibi antidotum componere
Qua sanguinis supra infraq; arcet impetū.
Hanc praparato exacte habebis optimam:
Croci celicij tum recentis tum boni
Drachmas bis octo, lachryma quoque papaueris
Thurisq; non secti, pura myrrha, pares
Cuiusque rursus sedecim denarios,
At mandagora radicis corticis drachmas
Bis quatuor, alterci duodecim seminis,
Papaueris sex seminis denarios,
Ternas boni cinamomi drachmas pondere.
Sed rhus liquoris patarici vel syriaci

Ter vigintiq́3, alteriusq́3 impone
Bis duodecim, sic para, mundum crocum,
Perfunde vino dulci & albo cretico
Duos sinens vnà dies vt plurimum,
Quum molle cernas, fragile, mox inditum
Mortario cochleari læuiga, opium
Thusq́3 stacta myrrha purgata adijce,
Rhus succum similiter solum perfundito,
Et commemoratis medicamentis inungito,
At vnione facta, læuiga, & cribro
Iniecta reliqua permiscebis omnia,
Coctiq́3 mellis temperans pauxillulum.
Rursus teras vt vnum fiat pharmacum
Contemperatum pariter, ex mortario
In vas aut vitreum transfer, aut stanneũ.
His subministrato qui stomacho & gutture
Et pectore reiiciũt, item ex pulmonibus.
Quod ternos obolos pendet, aut paulo amplius
Ex ternis cyathis vini quod dilutius,
Sed qui remittunt ex vesica, aut renibus
Nõnulla, vino myrtorũ, atq́3 aqua addita
Iis temperatum propinato pharmacum
Quos affligit coli, ieiuni, & omnium
Tenuium dolor intestinorum, atq́3 vteri
Denarium præstabis ex medicamine.
At quos febris molestat, ex cælesti aqua,
Qui non febricitant, diluto vino dabis
Vel myrteo, vel etiam passo cretico,

At

At si liber antidotum ex non pluribus,
Sed pauculis habere mixtionibus,
Hac præparata exacte senties bonum,
Quos stomachus imbecillis, & quos nausea
Prauusq; torquet habitus, qui non concequunt
Statim, doloribus simpliciter omnibus
✢ Diutinis, & qui radices fixerint.
Hac imperatorem Tiberium prædicant
Vtentem, aliam nullo potasse tempore.
Assumit piperis nigri quinas vncias,
Crocomagmatis quinas decem, rosæ decē,
Hæc omnia cribro iniecta melle assumito.

Codices quidā veteres habēt hic somnisq; inueterati.

ALIA *faciens ad eadem vt dicta*
Habet rosarum quaternas bis vncias,
Prætereaq; alia quæ & prior capit.
Hæc tusa & increta optimo melle excipe
Cocto, exhibeto nucis instar ponticæ
Cum mulso, aut melicrato recenti maxime
Cocto probe & spumato, quantum continet
Nux regia, cū septenis cyathis Cramatis.

ROSACEI PASTILLI CONFECTIO.

Hoc conuenit diligentia componere:
Rosæ virentis exacte folia capis,
Duos in vmbra vel tres plurimum dies
Refrigeras, tres ipsorum incretas libras
Mortario contundis quantum sufficit.
Iunci rotundi viginti denarios,
Myrrhæ duodecim detritæ, bis quatuor

Addis croci, omnia rursus contundis simul
Finges orbiculos prægrandes, refrigeras,
Hinc quantum oportet desumes in pharmacum.

QVOMODO PARETVR CROcomagma.

Crocomagma si bonum nimis desideras,
Para studiose. Cilicij drachmas croci
Centum, pinguis item myrrhæ siccatæ rosæ,
Horum bis vigenos quinos denarios,
Sed candidi amyli quinquaginta, pares
Gummeos, Amylum contunde, curiosius
Cretis, marinæ expertis vini paululum
Addes odori, orbiculos fingas, frigera,
Et quum est necesse, vtere vt bono crocomagmate,

ANTIDOTVM PRAESAGIENS.

Prognosticam antidotum sic componito:
Qua præbibita, letale si quis sumpserit
Cum cibo, vomitu reddet ipsum protinus,
At qui timet, ceu noxiũ iam ingesserint,
Hoc si superbibant, cibum cum pharmaco
Quod sumpserint, reddent vomitionibus.
Qui vero nihil absurdum aut deleteriũ
Cum cibis pariter sumptis deglutiuerit,
Non nauseabit, cibum retinebit probe,
Hoc efficax medicamen est doloribus
Dorsi, laterum, vesicæ, renũque, insuper
Et sanguinis copiosi cohibet impetũ,

Citra

Citra molestiam, ex quacunq; proruat
Regione corporis, etiam ex pulmonibus,
Sic præparato: Lemnia terra, bona,
Quæ quod caret signo aparacharactos dicitur,
Denarium vnum, atque obolos constitue duos,
Et pinguium iuniperi baccarum duas
Drachmas, valenter læuiga affundēs boni
Olei recentis & dulcis pauxillulum.
Queis conuenit præbere, nucis ponticæ
Fac offeras ex mulsa magnitudinem
At sanguinis cursum magis compescere
Volens, ex mulso aceto exhibe cocto.

Quę Asclepiades memorię mādauerit in quinto de interioribus affectibus, qui Mnason inscriptus est. Vocare igitur solent medici recentiores Antidotos, non modo quæ ad letalia medicamenta exhibent, sed etiam ad virulentarum ferarum morsus, adeoque affectus præsertim diuturnos, viscus aliquod obsidentes, aut abscessus. Quum itaque trifariam de ipsis Asclepiades disciplinam distinxerit, primo sanè loco posuit, quæ febribus circuitu remeātib. conuenire pronūciant. necnon aliquas inūctiōes quas συγχρίσματα Græci dicunt

cunt(ſic enim appellat)deinceps adijciens. Hæc itaq; omnia lexipharmaca, & lexipyreta nũcupat. Secũdum ipſorum genus Theriaca medicamẽta,rabioſorũ ſcorpionum,item phalangiorũ, viperarumq́; morſibus accommodata. Tertiũ vero medicamentorum genus,quoniã, bifariam & ipſum diuiſit,alterũ ijs qui letalia biberunt idoneum, alterum ad letalium medicamentorum pręcautionem proprium appellat,non eodem ordine quo Andromachus diſciplinã proſecutus. Ille ſiquidẽ,vt per initia huius cõmẽtarii à me dictũ eſt,in libro de medicamentis internè aſſumendis inſcripto,omnes antidotos prępoſuit,deinde medicamenta ſubiungit quæ ad quálibet affectionem,nõ abſceſſuum duntaxat, aut letalia medicamenta bibuntur, verũ ſi fœtum expellere oporteat,&hoc quoq; medicamentum antidotum nominat:item ad conuulſa,rupta, & vt vno verbo dicã,ad omnes affectus interaneos,quacunq; corporis parte conſtiterint. Quę vero ad huiuſmodi vitia bibũtur medicamina.etiã potiões appellauit Aſclepiades,in quarto Mnaſonis ad calcẽ,eas interpretat᾿:quare poſtremos ad finem Mnaſonis antidotos Aſclepiades

con

cõſcripſit, que noxijs potionibus aſſumptis auxiliantur: aut quę ne mali quippiã ab ijs experiatur aliquis, præſeruãt. Eo vero principe loco eiuſmodi in pręſentiarũ ſcribere decreui, tũ quod cum prædictis cõmunionem habeãt, tũ quod vſum præſtent multiplicem. Etenim ad abſceſſus cuiuſcunq; viſceris & particulæ in alto ſitæ cõducunt. Itẽ nõnulla ipſorũ ad imbecillitatẽ, vitioſos humores, indolentiã cõciliandã, & crudorũ humorũ concoctionem proficiunt. Inſuper ad latentem ſenſu per ſumma corporis tota euacuationẽ, quẽ ad modũ ad eas cõferunt quę ſenſibus patent, per vrinas, aluum & ſputa, quæ cum tuſsi, & pulmones, & thoracẽ pariter expurgant. Plurima vero ex ijs craſſos humores attenuare: incidere, & viſcoſos abſtergere ſolent, eoque obſtructionibus ſuccurrere, quę frequenter in iecinore oboriri conſueuerũt: Fiunt etiã in alijs viſceribus, et particulis, in quibus huc conſilium dirigi debet, vt humores attenuemus, abſtergamusque, & vaſorum extrema reſeremus.

Aſclepiadis ad eos qui letalia biberũt ſcriptura ad verbum.

Ad

Aduersus lachrymã papaueris. Papaueris itaque liquore poto, conducet aquã cum oleo calẽtẽ sæpius potui dare, vomitũq; ciere: aut calidã aquã cum aceto mulso exhibere, & ad vomitũ irritare: conueniet etiã aluũ clystere inanire.

Opio poto, merũ copiosius statim exhibitũ iuuat, aut piper cũ vino, aut nasturtiũ, aut cardamomum: conducit etiam lac asininum bibere, aut vaccinũ, & ventrẽ farina triticea oblinere, aut ordeacea cum vino cocta, & clysteribus vti mitioribus.

Qui aconitũ assumpserũt, rutæ manipulo cum vino meraciore læuigato, potoq; adiuuãtur: item iure pinguis gallinæ. Si altercum (quem Græci hyoscyamum appellant) nocuit, conducit lac potũ: maxime tamẽ asininum, vel quodlibet aliud per se, & cum mulsa calida.

Si viride coriandrum, auxiliatur vinum meracum potum & ius gallinaceum pingue.

Lepore marino assumpto, prodest lac bibere, maxime asininum: sin minus, vaccinum, aut caprinũ, Dari aũt debẽt esui etiã caules maluę diligenter incocti, vel pulegij quantum manu comprehendi, potest, cum passo triti, potandum, vel

cyclamini radix trita cũ vino, aut picis cedriæ obol' aut ſemi obolus, paſſo ſubactus potui datur. Si toxicũ potũ eſt, vinũ dulce adiuuat, oleũ roſaceũ ſanguis caprinus, ſemẽ napi cõtritũ cum vino.

Ephemeron aſſumptũ, iuuat ſuccus polygonij, aut plantaginis, aut origani, aut thymi pars aliqua vino ſolúta. QVI à dorycnio læſi ſunt, lacte vaccino bibito, paſſo, & cõchyliorũ iure reſtituũtur.

Quibus fungi ſunt aſſumpti, dari debẽt raphani crudi quãplurimi: itẽ vinũ meracũ & cineris ſarmẽtarij lixiuia, nitrũ aceto dilutũ, aut fex vini cõbuſta, tritaq; cũ aqua, potui datur: aut abſinthiũ, cũ aceto: aut ruta trita, cũ aceto. Benefacit etiã ruta ipſa per ſe manducata.

Quũ ixia (quã quidam Chamæleonta vocant) ingeſta eſt, ſuccurrit abſinthium potũ cũ vino, caſtoreo, & ruta. Proderit etiam oxymeli potare, & vomitiones ciere. Conferet origanum quoque cum vino. Cæterum vtendum eſt huiuſmodi cõfectione. Rutæ drachmæ ſex, reſinæ quatuor, caſtorei duæ, † chamæleõtis cochlearia tria. Hæc contrita & calente aceto ſoluta propinato.

Bupreſti aſſumpto, opitulatur paſsi plurimi potus, ac deinde vomitus.

† Locum hunc alij affirmatiue legunt, vt præcipiat eſſe ad ſaturitatẽ vſque & nauſeam comedẽdũ. quib' Aetius videtur conſentire: Alij negatiue, vt videtur, nec grecũ exẽplar impreſſu habere, nõ eſſe videlicet plurimũ comedendũ.

Item

Quidam locũ emẽdãt in græco codice, & sic interpretandũ sit: & sic plurimos edere. nã & hoc Aetius præcipit.

** Alij chamæpytios legunt.*

Item suillarum carnium ius decoctum: lac calidum, plenius, edere, & ficuum decoctio potui data, aut nitri rubri drachmæ quatuor tritæ mitxæque cum aqua, ac potæ. SI cantharides haustæ sunt, conducit passum cum oelo bibere. Item adipem coctam aqua percolatam, & ad vomitum cogere: prodest etiam plurimum lactis sumere, & nucleos pini plures esse: aut pineos nucleos plurimos cum mulsa tritos potu assumere: aut rutam in pulverem redactam irinoq; vnguento mixtam bibere aut cantharidũ alas pedesq; cũ melle detritos linctu assumere. PSILOthro hausto, prodest calentis olei potio, & vomitio excitata. Conferet etiam lac caprinũ bibere, & maluæ coctæ succum cum mulsa calida, aut cũ oleo, aut caricarum decoctum ex oleo, aut, sesamũ ex vino tritũ potui dare, aut nuces iuglandes quinque cum oleo tritas, aut cineris sarmentarij decoctum propinare.

SPVMA argenti pota, auxiliatur piper, apium, myrrha, cum vino læuigata bibitaq;.

GYPSO ingesto, dari debet potui cineris sarmentarij lixiuium, & thymus ex aqua tritus.

Lac

LAC quod in grumos coijt, cõgelatumq́; eſt, iuuat aceti potio. Item coaguli cum aqua fontana, vel ſilphij & ſulfuris æqualis portio, læuigata ex poſca, potuiq́; data. TAVRINO ſangine hauſto, profuerit acetum calidum propinare & ad vomitum cogere: vel laſeris obolum. aut ſemiobolum, aut nitri duos obolos vino ſubactos potui dare, aut fructum caprifici cum aceto tritum. Iam vero aluus recte ſubducetur, eadẽ farina lupini, & nitro ex mulſo decoctis oblinetur. HIRVdinẽ deuoratã, alij muriæ potu, alij niuis excutere hortantur. Aſclepiades autem lauare præcipiebat, & ſpongiam teneram frigida imbutam faucibus demittere, vt hirudo ſpongiæ infixa extraheretur, ac dein de lenticulæ ſuccum porrigebat. Externam colli regionem refrigerantibus ob ducere hortabatur. At Mys Apollonius acetũ quã accerrimũ propinabat, itẽ cũ muria ille niuis gleba calefacta ſolutaq; vtebatur, & eſculẽtis poculẽtisq́; aluũ tẽpeſtiue purgãtibus. hirudinũ excernendarũ gratia, nã has vnà cũ ijs que per aluum eijciuntur deferri ſæpe affirmat. QVI ceruſam biberint, ijs ex vſu fuerit oleũ calidũ bibere, & vomitum irritare.

Conferet etiā paſſum & calentem aquā aſſumere,atque ſic advomitū cogere:ad hæc cōduxerit lactis aſinini potio, maluæ coctę ſucci,& muſę calidę,cum oleo contuſę contemperatęq́;, vel decoctum caricarum bibitum,cum alijs, nucis iuglandes quinque cum oleo tritę in potuq́; datę,aut cineris ex ſarmētis lixiuia.

Atque hactenus de ſimplicibus medicamentis letalibus dictum eſto. Nunc autem de compoſitis agetur, ſed prauum mihi videtur horum confectiones exponere, licet complures eas conſcribere ſint aggreſsi, inter quos eſt Orpheus cognomento Theologus, & Orus Mendeſius recentior, & Heliodorus Athenienſis tragicus poeta: item Aratus, alijq́ue nonnulli huiuſmodi rerum ſcriptores. Hos itaque demirari queat aliquis, quod numeris talia opera conſcribere ſint aggreſsi. Merito autem damnauerit, ob res ab ipſis traditas: nam docere magis eſt,& allicere eos qui nocendi proximis ſtudio horum confectionibus manum admoliri cupiunt. Pulchrorum autem horum poematum authores, vulgi incurſum veriti,dū hęc tradere incipiunt, lectoribus perſuadere conantur, quod

nullis prauis pręditi moribus, neque huiusmodi perniciosorum pręceptores extiterint, quem ad modũ & Heliodorum in Apolyticis ad Nicomachum iurantẽ est inuenire, his verbis:

Non mihi per sacram venerandæ Palladis artem,
Non per luciferum solem mortalibus, æquum,
Non per diui cui subsunt Iuppiter omnes,
Muneribus quisquam, nec vi: nec gratia amoris
Adducit me alijs letalia prodere versu.
Sed palmas sacras splendentia ad æthera tendo,
Nullius atque mali mens est sibi conscia nostra.

Ex huiusmodi dictis persuadere aggrediuntur ijs qui in eiusmodi opera incident, vulgi insultum reueriti. Sed ne dicere quidem est, propterea talium pestiferorum medicaminum confectiones esse sciendas, vt qui velint opitulari, prompte remedia queant inuenire; hoc enim est mendacium: nam qui lęsos à noxijs simplicibus iuuare nouit, vnũquodq; particulatim in accidentibus

inſpiciens, hic nimirum optimus ſalutis præſes fuerit, etiam eorum qui à compoſitis offenduntur, facile ſingula in accidentium complexu, ac congerie precellentia deligens. Sed reuertamur ad id quod inſtituimus. Quum enim comeſta aut potà deleteria non conſtant, aquam cum oleo calidam dare conuenit, eiusq; plurimum bibere & ad vomitum incitare. vtile fuerit etiam ſomnũ circuncidere, quinetiam ad horum precautionem ſubſcriptis confectionibus vtendum eſt.

APOLLONII cognomẽto Muris medicamẽta à venenis præſeruãtia. Rutæ folia viginti, nuces iuglandes duæ, ſalis grumus vnus, caricæ duę, hęc ieiuno mãducãda dato, noxã.n.à letalibus prohibẽt.

ANTIDOTVS ad præſeruationem data.

Baccarum iuniperi denarij duo, lemnij ſigilli denarij duo & oboli totidem, hæc trita exceptaq; oleo reponito; quũ vſus poſtulauerit, nucis auellanæ inſtar, cum hydromelitis cyathis duobus propinato. Hac Nicodemes rex vtebatur, ſi quando eos, qui eum vocauerant, in ſuſpicione haberet. Itaque medicamentum, quum nulla huiuſmodi ve-

neni

neui vis ſubeſt,in loco quietum manet. Quum autem letale aliquod datum fuerit, nauſeam mouet,& vomere compellit, quapropter deleterium exhibitum, cum antidoto excernitur.

Antidotus Codii Tuſci, quo & Craterus vſus eſt. Marrubii, herbæ ſacræ, rutæ ſilueſtris ſeminis,ſcordii, rhamni radicis corticis,ſingulorum æqualis portio,melle excipiuntur,danturq; ad feras quidē denarii.ii. cũ vino,ad letalia autē ex mulſo & oleo. ALIA vt Appelles. Dictamni drachmæ duæ, polii drachmæ tres, piperis longi quatuor, rutæ ſilueſtris ſex,ſcordii tres, melle excepto dato,quem ad modum prædictum eſt. Cæterum benefacit etiam pleuriticis obolis tribus datum,menſeſq; mulieribus educit, denarii pondere exhibitum.

Antidotus Mithridatis, Athanaſia dicta,ad letalia medicamenta, & cuiuſlibet virulenti ictum, bene facit ſtomachis quibus cibus aceſcit, ſanguinem ſpuentibus, tuſsi diuturna infeſtatis, iecorariis,lienoſis: itē veſicæ,aut vteri vitiis, hoc modo præparatur. Piperis albi grana quadraginta,coſti,meu,aſari, acori, dauci cretici ſeminis, petroſelini, nardi indicæ, lapidis neſtoritis, ſingu-

lorũ drachmæ quatuor, croci, myrrhę, cuiusque drachmę octo, cinnamomi, cassiæ, singulorum drachmæ duodecim, mellis attici cocti, quod satis est: datur nucis auellanæ magnitudine, ex mulso temperato. IN ALIIS scripturis ita habet. Spicæ nardi, piperis albi, costi, meu, asari, acori, opobalsami, dauci cretici seminis, petroselini seminis, singulorum drachmæ quatuor, croci, myrrhæ, iũci rotũdi floris, singulorũ drach. viii. cinnamomi, casſiæ, singulorum drachmæ duodecim, mellis quod satis est.

Legi vetustum codicẽ, in quo hæc omnia æquale põdus habẽt, sed adduntur his etiam opiũ, castoreũ, thus, terebinthina, nardis celtica, daucus.

In alijs adhũc modũ habet. Piperis albi grana quadraginta, costi, meu, acori, agarici, scordii, dauci cretici, petroselini, singulorũ drac. iiii. croci myrrhæ, vtriusq; drach. viii. cinnamomi casſiæ, iunci rotũdi floris, singulorũ drach. xii. mellis quantum sufficit.

Ambrosia Philippi Macedonis, ad letalia medicamenta & cuiusuis virulenti ictũ, facit etiã internis affectibus. †Styracis, chalbani, piperis albi, & longi, cinnamomi, singulorũ ʒ. ii. apii seminis, anisi, iũci rotũdi floris, costi, cumini ęthiopici, seselis, cyphi s. rheu põtici, cardamomi. amomi, nardi, myrrhæ, casſiæ, singulorũ drac. iiii. palmularũ nucleis exẽpti

nucum

nucũ carnis,ſingulorum drach. vi. croci drach. viii. vuuæ paſſæ acinis vacuæ, duodecim, mellis attici quantum ſatis eſt, componito in modum ſuperiorem.

Antidotus zopyria, valet ad letalia medicamenta, & omnis ſerpentis ictum. De hac huiuſmodi quippiã fertur, quod Zopyrus per epiſtolam Mithridatẽ adhortatur ad antidoti probationẽ, accerſito videlicet homine morti adiudicato, vt letale huic medicamentum daret, inde antidotum offerret, aut prius antidotum exhiberet, mox letale propinaret. Idipſum hortabatur & in his qui vel ſerpentibus vel etiã toxicis male habuerint factitaret: quæ quũ ita fierent, contigit vt homo nulli periculo fuerit implicitus. Valet autẽ etiã ſtomachicis ad acidos ructus, ſanguinẽ ſpuentibus, cœliacis, torminoſis, iecinoroſis, lienoſis, comitialibus, nephreticis: iam vteri aut veſicæ affectus perſanat, emortuos fœtus educit, ſecundaſque retentas. Confecti hunc in modum habet, Opobalſami drachmæ tertiæ, nardi indicæ, myrrhæ troglodytidis, iunci rotundi floris, cinnamomi, characii, coſti recentis, piperis longi, hypociſthidis, pollii, piperis pereatici, ſcordii,

pyxide argentea vtitor, vt maximo medicamine.

Antidotus Mithridatis Eupatoris, quod dià ſcincu dicitur, letalibus medicamentis efficax, item aduerſus omnem interitum inferentem materiam, omnis virulenti ictum, interiorum affectus inſuper conceptionem adiuuat, menſes educit, fœtus emortuos ſecundaſq; retentas ſoluit, necnon febribus per circuitus inuadentibus auxiliatur, reſolutis, tremulis, rigori neruorum, qui opiſthotonos dicitur, coxendicibus, podagricis, & ad omnem neruorum dolorem. His miſturis conſtat. Scinci, ſagapeni, acori, phu, hyperici, acaciæ, iridis, meu, gummi, ſingulorum drach. duę, roſarum ſiccarum, gentianæ, cardamomi, ſingulorum drach. quatuor; papaueris ſeminis oboli duo, ſtyracis drachmæ octo, polii, caſsię nigræ, ſeſelis, bdellii, balſami, piperis albi, ſingulorum drachmæ quinque, oboli duo, hipociſtidis ſucci, opopanacis, myrrhæ, thuris maſculi, caſtorei, piperis longi; cyphis, malabathri foliorũ, ſingulorum drachmæ ſex, ſcordii, coſti, iunci rotundi floris, galbani, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum drachmę ſex, oboli duo, nardi ſyriacæ

opobalſami,thlaſpis, dauci cretici,ſingulorum dracmæ ſex,oboli tres, croci, cinnamomi,zingiberis, ſingulorũ drac. ſex, oboli duo,dulcis radiculę ſucci,agarici, ſingulorum drach.ſeptem, oboli tres; Hunc in modum componitur. Cyphi,hipociſtis, ſagapenum, gummi,papauer,ſtyrax,opopanax, in vino chio madeſcunt,vſquedum in totum fuerint diſſoluta, per diem,& noctem, reliqua contunduntur, & tenui cribro incernuntur miſcenturque madefactis detritiſque. Tota vero compoſitio melle attico decocto excipitur, vt habeat ſpiſſitudinem:deinde opobalſamum omnibus ſuperiniicitur: poſtea excipientes vaſe argento reponimus. Vſus antidoti ad multa eſt, datur pro virium ratione. Nos ad medicamenti intentionem, mẽſium retentorum & fœtus gratia, nempe vt abſque periculo educatur, miſcemus, dictamni cretici drach. iiii. ammoniaci drachmas tres, ſilueſtris ſeminis drachmas tres, cumini æthiopici drachmas ſex, trifolii ſeminis drachmas quatuor, napi ſilueſtris drachmas quatuor, chamædryos totidem, rheu pontici drachmas tres, liquoris cyrenaici drachmas, duas. His adiectis,

medi-

medicamenti vſus multiplex efficitur: corrumpit enim fœtus quadrimeſtres, & trimeſtres educit.

Mithridatis Theriaca. Hac rex Mithridates ſemper vtebatur, vt ſe à letali veneno aſſereret. Quum itaque à Romanis captus eſſet, nec bis epoto veneno mori poſſet, gladio ſibiipſi necem intulit. Valet ad letalia medicamenta, & omnis virus iaculentis ictum, item ad interiorum affectus. Hac vtebatur Andromachus. Confectio ipſius hunc in modum habet:Paſtillorum ſcillinorum drachmæ quadraginta octo, paſtillorum theriacorum, piperis nigri, hedychroi magmatis, lachrymę papaueris nigri, ſingulorum drachmę vigintiquatuor, roſarum ſiccarum, iunci rotundi odorati floris, polii, ſcordii, ſeminis napi, iridis illyricę, agarici, cinnamomi dulcis radiculę ſucci, opobalſami, ſingulorum drachmę duodecim, roris marini drachmæ octo, myrrhæ, croci, zingiberis, rheu pontici, quinquefolii radicis, nepitæ montanæ, marrubii, petroſelini, ſtœchados, coſti, piperis albi, thuris drach. i. oboli ii. caſſiæ nigræ drachmæ quatuor, piperis nigri drachma vna, & longi tantundem

Mire deprauata erat ĩ græco codice impreſſo hæc deſcriptio, nos tamen ex antiquo exempl. ſic reſtituimus.

dem, meu, asari, acori, dauci seminis, anserini sanguinis sicci, anati sanguinis, singulorum drachmæ tres, mellis attici cocti quantum sufficit.

Antidotus ex centum rebus constãs, vnde hecatontamigmaton dicitur, qua vtor. Cæsari illam præparaui ad omnia, peculiariter autem ad letalia.

Abrotani denarius & semis, aristolochiæ denarii viginti, acaciæ denarii quatuor, baccarum iuniperii carnis tantundem, croci denarii duo, asari denarii quatuor, anisi denarii tres, amomi denarii sex, agarici denarii tres, † fructus balsami, bdellii, singulorũ denarii tres, oboli duo, balaustum denarii duo, gentianæ denarii quatuor, dulcis radiculæ succi tantundem, rapi seminis denarij quatuor (in alio exemplari octo) terræ samiæ denarius * vnus, dauci seminis denarii quatuor, dracunculi radicis denarii tres, oboli totidem, erysimi seminis drachmæ.xx. iris illyricæ denarii.ii. myrrhæ denarii vii. oboli tres, zinhiberis tantũdẽ, eryngii radicis denarii iiii. oboli duo, thlaspis denarii viginti, conizę tenuis denarii sex, oboli tres, cyperi denarii.vi. cicutæ seminis cocti denarius vnus oboli iii. ameos denarii iiii. cnici

† Varia sunt horũ duorũ simpliciũ pondera apud varios cod. impressus sic habet, alius vtrius que denarii. iiij. alius primi duos ponit, secũdi tres.

** Alias iiii.*

cnici seminis denarii septem, oboli duo, cinnamomi denarii.vii. costi denarii septem, oboli duo, casiæ denarii quinque oboli duo, centauri succi drachmæ quatuor, oboli quinque, castorei denarii sex, calami odorati denarii duo, (secundum alios quatuor) gũmi denarii duo, cardamomi denarii quatuor, cachryos denarii tres, oboli totidẽ, cyphis denarii sex, chalbani denarii sex, oboli duo, rorismarini foliorũ denarii quatuor, saluię tantundẽ: lõchitidis herbæ seminis denarii duo, oboli tres. †libanis seminis denarii tres, thuris denarii sex, oboli tres, fœniculi seminis denarii sex, lachrymæ papaueris denarii .vi. minii lemnii denarius. ✶.i. malabathri denarii.x. meu denarii.x. anatis sanguinis denarii. vi. nardi syriacæ denarii.vi. oboli.iii. nardi gallicę denarii octo, xilobalsami denarii tres, opopanacis tantundem, ormini seminis denarii octo, neruorum alborum totidem, panaceæ denarii sex, opobalsami denarii tres, pelecini denarii sex, polii denarii quinque, oboli duo, polygonii foliorum denarii nouẽ, helenii radicis denarii quinque, oboli tres, petroselini denarii sex, oboli duo, quinquefolii denarii.viii. liquoris peucedani tãtũdẽ, pi-

† λιβάνις habet & mendose impressus codex alias autẽ in manuscriptis aliter legitur quidã libanios. i. buglossi ut quidã interpretantur ex Dioscoride alii lithospermi.

✶ Alias iiii.

peris nigri denarii quinque, oboli tres, & albi denarii quatuor, oboli tres, longi denarius † vnus, ſcinci denarii tres, reſinę terebinthinæ denarii duo, roſarũ ſiccarum denarii ſex, ſagapeni denarii octo, ſtœchados denarii quatuor, nucleorum pini frictorum denarii ſex, iũci rotundi denarii quatuor, oboli duo, 'vuæ paſſæ carnis denarii quatuor, ſeſelis denarii quinque, oboli duo, paſtinacæ ſeminis denarii quatuor, fellis taurini denarii quinque, fellis vrcini tantundem, chamæpityos denarii tres, pſylli ſeminis denarii quatuor, chamædryos totidem, ſeſami fricti denarii ſex, conſolidæ radicis denarii duo, ſcordii ſummitatum denarius vnus, oboli quatuor, herbæ pediculariæ denarii quinque, ſtyracis denarii quinque, oboli duo, trifolii ſeminis denarii decem, tordili ſeminis denarii duo, teucrii foliorũ, quod nonnulli dicunt eſſe chamædryn, denarius vnus, hypociſtidis ſucci denarii duo ſemis, hyperici ſeminis denarii duo, alterici ſeminis denarii duo, rheu pontici denarii duo, cotyledonis radicis denarius vnus, oboli tres, vini & mellis quod ſatis eſt. Ego vinũ non adiicio.

Antidotus Aelii Galli, ad alia, & rabio-

bioſorum morſus. Nardi ſyriacæ drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ octo, cinnamomi drachmæ duodecim, caſsiæ nigræ totidem, croci drachmæ octo, coſti drach. iiii. dauci ſeminis totidẽ, mei totidem (ſecundum alios vna) petroſelini drachmæ quatuor, piperis albi grana quadraginta, balſami fructus drachmæ quatuor, acori, aſarii, vtriuſque tantundem, iunci rotundi drachmæ octo, ipſum tamen alii non imponunt, mellis cocti quod ſatis eſt. Datur eſui.

Alia antidotus Aelii Galli, ad affectus interiores efficax. Cinnamomi drachmæ ſex, croci drach. duæ, oboli tres, piperis albi drachmæ quatuor, oboli duo, & longi tres drachmæ, oboli totidem. opii drachmæ tres, nardi drachmæ quatuor, myrrhn drachmæ quatuor, oboli duo, acori drachmæ tres, nardi drachmæ quatuor, ſtyracis drachmæ vna, oboli duo, chalbani drachmæ quatuor, caſtorei drachmæ tres, oboli duo, coſti drachmæ duæ, oboli totidẽ: melle conſpergito. Dantur catapotia, quibuſdam potu aſſumuntur. Eſt autem antidotus concoctioni, & dolori leniendo idonea.

Aromatica optima Galli ad omnia faciens.

Cin-

Cinnamomi vncia semis, casiæ drachmæ, croci drachma, semis, amomi drachmę quinque, malabathri drachmæ duæ, myrrhæ drachma semis (alii drachma vna) iunci rotundi floris drachma j. costi vncia semis, piperis drachmæ tres, mellis attici quod satis est. Ego autem cinnamomi duplum iniicio, & fit præstantius.

Ambrosia Archibii sacra, omnibus infernis faciens, qua vtor. Anisi drachmæ quatuor, apii seminis totidem, myrrhæ drachma, panacis tantundem cinnamomi drachmæ duæ, loti amari seminis drachmæ duæ, casiæ drachmę duæ, nardi drachmæ duæ, croci drachmæ duæ, oboli tres, piperis tres, oboli, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, mellis quod sufficit. Redditur potabilis ad intestinorum tormina, cum myrtini vini heminæ quarta portione, & aqua. Ad iecur cum mulsę hemina dimidia: ad vigilias, lippitudinem, pleuritidem, cum mulsa: ad malum stomachum cum granatorum vini cyathis duobus, & aquę pari mensura.

Antidotus Antipatri, Theriaca, ad aspidum morsus & pręsumpta & postea data, qua vtor. Gentianę drachmæ quatuor

trifolij tãtundẽ, & fructus ipsius drachmę duæ, polij drachmæ quatuor, aristolochiæ tenuis drachmæ duæ, peucedani radicis tantundem, galbani drachmæ duæ, petroselini drachmæ quatuor, rutæ siluaticæ drachmæ tres, pyrethri drachma, herbæ pedicularię tantundẽ, maceris drachmæ tres, bryoniæ radicis drachmæ duæ, piperis albi tantundem, acori drachmæ tres, guttæ ammoniaci drachma, oboli tres, verbasci, idææ chamæpityos, chamælææ, marrubij tenuis, conizæ tenuis, cumini æthiopici, lachrymæ papaueris, castorei, fœniculi seminis, agarici, casiæ rubrę, iunci rotundi floris, rheu. singulorum drach. ij. dauci cretici drachma, oboli tres, opopanacis tantundem, sagapeni drachmæ duæ, oboli tres, abrotani drachma, oboli tres, dictamni tantundẽ, styracis tantundem, cinnamomi drachmæ tres, nardi totidem, myrrhæ drachmæ quatuor, lachrymę thuris drachma, croci drachmę octo, anisi drachma, liquoris cyrenaici tantundem, coaguli hinnuli drachmæ tres, mel atticum additur: huius nucis auellanæ magnitudo in præcautionem sumitur.

THERIACA Aelij Galli, qua vtor,

egregia. Bryoniæ radicis drachmæ ſedecim, trifolii ſeminis, opopanacis, ſingulorũ drachmæ octo, ariſtolochiæ tenuis drachmæ duodecim, roriſmarini radicis, iris illyricæ, zingiberis opii, ſingulorum drachmæ octo, rutæ ſiluaticæ ſeminis drachmæ duodecim, cumini æthiopici drachmæ ſedecim, myrrhæ, caſsiæ, caſtorei, ſeſelis, eryngij radicis, ſerpylli, lachrymæ cyrenaicæ, ſingulorum drachmæ ſex, medicæ drachmæ duodecim, ſagapeni drachmæ ſex croci drach. v. erui farinæ drach. xxiiii. finguntur paſtilli ex aqua triobolares, danturque cum vino.

Theriaca alia Aelij Galli vehementer efficax.

Trifolij ſeminis drachmæ duodecim, ariſtolochiæ drachmæ ſex, hedychroi magmatis drachmæ octo, quinquefolij drachmæ quatuor, echii herbæ drachmæ ſex, † philocrati drachmæ quinque, ſagapeni drachmæ quatuor, polii drachmæ ſex, caſtorei drachmæ tres, croci drachme octo, apij ſeminis, aniſi, fœniculi, petroſelini, ſingulorum drachmæ ſex, opopanacis drachmæ quatuor, opobalſami drachmæ ſex, ſeſelis drach. iiij. cumini æthiopici aut thebani drach.

† *In alio gra. cod. philantropi.*

drach. v. myrrhæ, ſcordii, phu, meu, ſingulorum drachmæ ſex, alyſi cretici ſeminis drachmæ ſex, erui farinæ drac. viii. Vino leui ariuſio effuſo paſtilli formantur, qui obolos quatuor pendeant, datur vnus ex vino Chio marinæ experti meraco, hemina dimidia.

THERIACA ad interiores dolores, Euclidis Palatiani, quã (vt ipſe Euclides aiebat) preparauit ad aſpidũ morſus. Item ad pleuriticos, febrim quartanã, quũ prius vomuerint, inſtar nucis auellanæ, tuſsientibus, ægre reiicientibus, ex aqua, ferarũ morſibus cum vino, pleuriticis ſimulq; ſanguinem educẽtibus, ex aquæ cyathis duobus & aceti vno cyatho. Caſtorei drachmæ ſex, opopanacis, ſagapeni, ſeſelis, cachreos, chamædryos, chamæpityos, marrubii, ſingulorũ drachmæ ſedecim, ſtyracis, bituminis iudaici, myrrhæ, ſingulorũ drachmæ ſeptẽ, lachrymæ papaueris drachmæ octo, mellis libra: propinato commorſis à feris, ſi fieri poſsit, vomitu præmiſſo, cum fraxini copioſiore ſucco: ſin minus, cum vino drachma medicamenti vel etiam amplius nucis magnitudo ad quartanam adhibetur.

ad pleuriticos.

THERIACA Zenonis Laudacci, vt

Menutianus acceptam tradidit. Cardamomi purgati & inuolucris exuti, ſerpylli, apij ſeminis, bryoniæ radicis, trifolij ſeminis, aniſi, petroſelini, fœniculi radicis, & ſeminis, ameos, ariſtolochiæ tenuis, erui farinæ, opopanacis, ſingulorũ æqualis portio: cõtuſa priuatim miſcentur, vino auſtero excipiuntur: fiuntq; paſtilli triobolares, vbi ſiccata fuerint in vmbra, ternos obolos pendeant, propinetur vnus ter die cũ duab' aquæ drachmis, ac ſemel nocte ſinguli paſtilli. At ſubinde & præſertim continue vomitu vexatis, nonnunquam quoque naribus infundito, ſi nequeant deglutire iã abalienati, ac alioquin graui ſymptomate impliciti: qui vero cum puſtullis in morſu nigreſcunt, & carnes ipſorum difflunnt præcipue, ceu malignis vlceribus obſeſſos curato.

ANTIDOTVS ad conuulſa, rupta, ſanguinem expuentes, lienoſos, iecorarios, vlceratã veſicam, ſtomachicos, cœliacos, flatibus intentos, arquaticos. Ad omnes conuenit dare magnitudinem oliuæ cum mulſo. Cinnamomi, coſti, ſingulorum denarij ſex, nardi ſyriaci denarij viginti, croci, mirrhæ, malabathri, ſingulorũ denarij octo, caſsiæ dena

rij duodecim, piperis albi denarii decē, thuris denarii quatuor, iunci rotūdi denarii ſedecim, iridis illyricæ denarii duodecim, terræ lēniæ denarii viginti, meu, ſeſelis, ſingulorum denarii octo, apij ſeminis denarii quatuor, nucleorum pini denarii duodecim, eryſimi denarii ſex, cucumeris ſeminis frixi denarii ſex, reſinæ terebinthinæ denarii tres, petroſelini denarii quatuor, amomi denarii tres, ſcordii, polii, opobalſami, gentianæ, cumini æthiopici, ſingulorū denarii quinque, rutæ ſiluaticæ ſeminis denarii tres, aniſi, tragacanthi ſingulorum denarii octo, phu, ſtœchados, cneori, ſingulorū denarii duo. Eryſimum per linteum in aqua coctū: vt medicamentum excipiat, omnibus in puluerem læuigatis miſcetur. Deinde tragacanthum aqua maceratū adiicito. Datur fabæ ægyptiæ inſtar, cū duobus aquæ cyathis: ſi febris abfuerit, ex mulſo autem febricitantibus.

ANTIDOTVS Mithridatia vt Xenocrates apud Nicoſtratum, ad omnia letalia, ferarum morſus, ægrā concoctionē, inflationes, ſtomachicos, cœliacos, iecorarios, lienoſos, coxendicos, nephriticos, pleuriticos, peripneumonicos. Hypociſtidis ſucci drachmæ ſex, cor-

dii drachmæ quinque, castorei drachmæ quatuor, petroselini drachmæ quinque, seselis drachma vna, thuris drachmæ sex, polii drachmæ duæ, dauci cretici drachmæ decẽ, piperis albi drachma, oboli tres, oblongi drachma, costi drach. iiij. oboli. iij. cinnamomi drac. duæ, croci drachmæ quinque, oboli tres casſiæ nigræ drachmæ quatuor, nardi drachmæ octo, myrrhæ drachmæ octo, iunci rotundi drachmæ quatuor, amomi drachmæ duę, chalbani drachmæ duæ, resinæ terebinthinæ drachma vna, oboli tres, guttæ papaueris drachmæ viginti: melle attico datur, quem ad modum reliqua.

ANTIDOTVS Tyrãnis dicta, Antipatri vt Nilus ait efficax ad calculosos, & qui ex deficultate spirãdi suffocãtur: expellit etiam secundas retẽtas, fœtusq; salutaris comitialibus, podagricis, articulariis, coxẽdicibus: crassas vrinas educens copiosisſime. Datur cyathi mensura mulso etiam his qui letalia assumpserunt, in ferarum morsibus vino, et comitiali morbo: si febris adest, cum hydromelite.

Scinci drachmæ octo, myrrhæ drachmæ viginti octo, lemnij minij drachmæ

qua-

quatuor, nardi drachmæ octo, iunci rotũdi drachmæ quatuor, cinnamomi drachmæ vigintiquatuor, dulcis radiculæ drachmæ viginti octo, myrrhæ drachmæ viginti, eryngii drachmæ viginti quatuor, amomi drachmæ duodecim, cardamomi drachmæ octo, croci tantundem, baccarũ cedri nigrarum drachmæ duodecim, meliloti totidem, hyacinthini seminis drachmæ quatuor, piperis longi totidem, & albi grana octuagintaquinque, spondilii drachmæ duodecim, stœchados drachmæ quinque, pyrethri drachmæ sex, maluæ siluestris seminis drachmæ duodecim, albæ violæ seminis drachmæ tres, opobalsami drachmæ sex, costi, drachmæ octo, obolus vnus, ameos drachmæ duodecim, cotyledonis radicis drachmæ quatuordecim, dauci seminis drachmæ duodecim, carpobalsami drachmæ quatuor, xylobalsami tantundem, casiæ drachmæ octo, cumini æthiopici drachmæ quatuor, ocimi seminis acori, œnanthæ, singulorum drachmæ octo, apii, seminis drachmæ duodecim, sagapeni drachmæ octo, capparis radicis drachmæ quatuor, gentianæ drachmæ quatuordecim, periclymeni radicis dra-

chmæ octo, thuris tantundem, styracis drachmæ vna, ✱milii siluestris drachma vigintiquatuor, smyrnii radicis drachmæ quatuor, sisari seminis drach. octo, guttæ ammoniaci drachmæ sedecim, seselis drachmæ quatuor, cachreos tantundem, (secundum alios drachma vna) iridis illyricæ drachmæ quatuor, anisi totidem, chamæpitys drachmæ quindecim, chamædryos tantundem, smyrnii seminis drachmæ octo, zingiberis drachmæ quatuordecim, centaurii tenuis drachmæ octo, pastinacæ seminis, meu, singulorum drachmæ octo, calami radicis drachmæ quatuor, ✱ vnguenti boni hemina, mellis attici quod satis est.

AD febrim quartanã, vt Harpal'. Myrrhæ drachmæ quatuor, piperis lõgi vel albi drachmæ duæ, opii tantundẽ, castorei oboli tres semis, cardamomi drachmæ quatuor, sagapeni drachmę duæ trita cum aqua in pastillos coguntur, qui obolos duos pendeant: quibus morbus circuitu remeat, cum vini cyathis duobus adriani vel aminæi, & aquæ fontanæ decoctæ cyathis quatuor: si febris vrget, cum hydromelite: valet etiam ad reliquas periodos. Quoniam

vero Aſclepiades, & Damocrates ad eos qui virulento quodam animali morſi, punctive ſunt, vnà cum prædictis medicamentis remedia aſcripſerunt, mihi quoque ſatius viſum eſt, impræſentiarum ordine ea apponere, ac prima ſanè que ad Aſclepiadem authorẽ referũtur. QVÆ Aſclepiades in quinto Mnaſonis tradiderit ad virulẽtorum animalium noxas. Potio à rabioſorum morſu præſeruans, admodum generoſa.

Lycii indici quam optimi obolos tres, cum aqua propinato: item herbæ ſacræ exiguum implicatum diebus ſat multis dato. Iam & ſine aqua lycium ouo ſorbili inditum, porrigitur. ALIA. Caſtorei drachma, roſacei albi cyathus datur potui, bis in die quod cum intermiſſeris euacua abſinthii decocto, ſale iniecto tantiſper, vt clyſter ſit vehementior. ANTONINI Coi. Alyſſon herbam contuſam cribratamque reponito: quũ vſus poſcit dato cochleare à rabioſo morſis, cum aquæ & hydromelitis cyathis ternis, à prima die, præſtat ad quadraginta vſque: ſin minus, ad primos dies ſeptem exhiberi. Alyſſos autẽ herba eſt marrubio perſimilis, aſperior autem & magis ſpinoſa eſt circa globu-

los: florem fert ad cæruleum spectantem. Hæc leganda est sub æstu caniculæ: siccata, contundi, cribrari, seruarique debet ne difflietur. ALIA. Cineris cácrorum fluuiatilium in sarmentis albæ vitis combustorum tritorumque † mystrum vnum: radicis gentianæ, terebinthinæ, singulorum mystra duo: dato morsis statim cũ vini meracioris vetusti cyathis tribus vel paulo ampliori vel pauciori: nam pro ætate & virium morsorum ratione metiri conuenit: propinato ad triduum. Qui autem post primum aut secundum aut etiam tertium diem medicamentum sunt assumpturi, in his conandum est, vt quod semel die exhibetur, id triplicatum duplicatumque ex medicamẽto exhibeatur, etenim vinum sufficit. Expletis autem qui restãt, diebus, cancrorum fluuiatilium mystrum vnum dabitur: gentianæ mystra duo, ad alios dies tres, cum tribus vini cyathis. Est autem sic intelligendum quod dicitur: statim commorsis dato cã crorum mystrum, gẽtianæ mystra duo, et vino meraci cyathos tres, quotidie ad dies sex. At si quis curationem procrastinauerit, si quidem secundus dies

† Alias decẽ.

est,

est, duplum medicamenti capere oportet:nam uinum abunde est:si tertius, triplum. Post hæc ad alios tres dies capiat, quæ consuetudo est singulis diebus assumere. Medicamentum potum, magnam securitatem conciliat, ne in aquæ metũ incidant.

Cratippi viri & egregij & canum altoris.

Cácrorũ drach. viginti, myrrhæ drachmæ duæ, croci drachma vna seminis, gentianæ drachma, piperis albi grana decem, vini quod ad excipiendum satis est, datur denarius vnus, cum vini cyathis tribus temperati.

Aliud, qua vsus est Heras Cappadox. Scordij drachmæ duæ, piperis albi drachmæ duæ, seminis, opij drachmæ tres, liquoris cyrenaici drach. tres semis, cachreos drachmæ quatuor, gentianæ, rutæ siluaticæ seminis, minij lemnij singulorum drachmæ quinque, myrrhæ drachmæ septem, opobalsami drachmæ octo. Præparentur vino, excipianturque melle cocto, postea opobalsamum adijciatur. Dandum valentioribus fabæ ægyptiæ duplum, & aquæ calidæ cyathi tres.

Alia Ælij Caij, vt Belchionius aiebat,

bat, à Cæſare ſe accepiſſe. Polij, liquoris cyrenaici, vtriuſque drach. tres ſemis, ca chreos, rutæ ſilueſtris ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor, gentianæ, minij lemnij, ſingulorum drachmæ quinque, myrrhæ drach. ſex vel ſeptem, opobalſami drachmæ octo, ſcordij, piperis, ſingulorum drachmæ duodecim, melle excipito.

ZENONIS Laudocci ad rabioſorũ morſus: eſt etiam bona theriaca. Petroſelini ſeminis, ameos, aniſi, ſerpylli, bryoniæ radicis, fœniculi ſeminis, erui farinæ, ariſtolochiæ, longæ, trifolij ſeminis, opopanacis, cardamomi medullæ ſine folliculis, ſingulorum drachmæ quatuor. Opopanax vino ſolutus in promptu habeatur: reliqua arida contuſa, & tenui cribro increta, conſpergendo opopanaci miſcētur, inde paſtilli finguntur, ſiccanturq́; in vmbra: dato nuper morſis à rabioſo drachmam vnã cũ ternis vini meraci cyathis ad triduũ: his aut qui iamdiu detenti ſunt, cum aqua frigida propinatur. Medicamentum ad Dionyſium Mileſium refertur.

CLAVDII Apollonij medicamētum ad rabioſorum morſus idoneum: eſt etiã theriaca.

Trifolii, seminis, fœniculi radicis, vtriusque drachmæ sex: scillæ foliorum siccorum, aristolochiæ longæ, singulorum drachmæ quinq;, scinci, serpylli ramorum, singulorum drachmę quatuor: cardamomi purgati, dulcis radiculę, singulorum drach. iij. ameos, rutæ radicis, singulorum drachmæ duæ: opopanacis, liquoris cyrenaici, singulorum drachma: vini falerni sextarij tres, cancrorum marinorum combustorum libræ tres. In vino madescere sinito, ac vbi combiberint, trita diligenter in procinctu habeto, arida vero tunsa & tenui cribro increta, mixtaq; cancris, in pastillos redigito, ad ternos obolos cum vini meraci cyatho i, S. ad dies tres propinabis. Atq; de his tantũ. Porrò connectendæ his sunt cõfectiões quæ extrinsecus imponũtur.

MENIPPI ad rabiosorũ morsus, quo vsus est Pelops. Picis brutiæ libra, opopanacis † drachmæ quatuor, aceti sextarius. Opopanax etiam dissoluitur aceti cyathis quaternis: quod restat liquoris, cũ pice incoquito: vbi consumptus fuerit, opopanacẽ addito, cura adhibita ne efferuescat: quũ bene habuerit, emplastri modo splenia bonæ magnitudinis fingito ac morsui imponito: oporret aũt vlcus

Alias Vnciæ iiij.

vlcus ad quadraginta dies conseruare.

Menelai ad rabiosorum morsus remediũ efficax:item ad ægilopas, & omnis serpentis ictum.

Nitri rubri denarij duo, fecis vini combustæ denarij septem, guttę ammoniaci tantundem,seui caprilli libra,olei lib,i.S.cerę librę duę,aquę sextarius. Ammoniacum cum aqua terito,vt sordium habeat spissitudinem:quod restat aquę,cum nitro & fece incoquito. Vbi constiterint, ea quę liquari possunt indito:postquam dissolueris,ab igne sublatis,ammoniacum inijcito,ac in mortarium defusa emollitaq́;.diligenter, excipiens in vsum ducito.

Album Baphulli,quod ad rabiosorũ morsus extrinsecus imponitur,datur etiam catapotium ex eo nucis auellanæ instar, & deglutitur ad dies quadraginta,præsertim ab his qui malo iam victi sunt,liberat enim à periculo.Imponitur autem vulneri & die interposito soluitur,ac propterea diebus alternis soluẽdum est,ac nigrities ab vlcere per spongiam detergenda:idq́; faciundum est,vsque dum medicamen albũ permaneat. Habet autem in hunc modum. Ceræ ponticæ librę duæ,spumæ argẽti,cerusæ,

rusæ, singulorum libra, olei veteris sextariũ, myrrhę, medullæ ceruinæ, vtriusque drachmæ duæ, thuris drachma. Argenti spuma oleo coquitur, & quum mutata fuerit, çerusa inspergitur, ac cera inijcitur. Vbi tam spissum euaserit vt manus nõ inquinet, ab igne sublato, medulla inijcitur, myrrha, & thus: emolliẽs vtitor.

In alijs scripturis sic habet. Cerę libræ duæ, ceru[illegible]æ, argenti spumæ, singulorum libra, olei veteris sextarius, myrrhæ, thuris, medullæ ceruinæ, singulæ drachmæ. † olei veteris hemina. *Hoc superesse videtur.*

In alijs ad hunc modum. Ceræ ponticæ libra, cerusę, argenti spumę, singulorum drachmę tres, thuris, myrrhę, medullę ceruinæ, singulorum semuncia, drachma vna, olei veteris drachmæ quatuor.

Basilica, ad rabiosorum morsus medicamen accommodatum, quod ab aquæ metu asserit: hoc Augusta semper habebat compositum, Salis ammoniaci, liquoris cyrenaci, vtriusque drachmæ duę: si cyrenaicus desideretur syriaci duplum: coaguli leporis drachmæ quatuor, iris illyricæ, castorei pontici, vtriusq; drachme quinq; † liquoris fici immaturæ. † *Alias caprifici.*

turæ coacti aridi tantundē, si desit, humoris duplum, adipis hyænæ drachmæ octo, resinæ terebinthinæ drachmæ nouem, *canis nigri, hyænæ, vtriusq; drachmæ vndecim, ceræ ponticæ drachmę trigintasex, olei veteris cyathi duo, aceti scillitici cyathi tres: arida cum aceto teruntur, quæ liquefieri possunt, liquantur. Deinde cōtritis immittuntur: at in vsu redditur idoneum medicamentum.

Aliàs canis nigri adipis, eiusdē sanguinis.

AD scorpionū ictus vtendū est infrascriptis, confectionibus. Diophantus hac etiam in phalangiorum morsibus vsus est. Aristolochiæ drac. iiij. piperis drach. duæ, opij drachma, pyrethri drach. iiij. fingūtur pastilli fabæ ægyptiæ magnitudine, danturq; duo deglutiendi, & vini meraci cyathi duo.

ALIVD ad scorpiones & morsus ferocium belluarum. Aristolochiæ, zingiberis, vtriusque drachmæ octo, nepitæ, rutæ siluestris seminis, singulorum tres oboli, piperis oboli duo, conspergito testudinis sanguine, & in pastillos trium obolorum cogito, datoq; cum vino meraco.

ALIVD Cumini æthiopici, sulfuris viui, piperis albi, singulorū drachmæ duę: castorei, laseris, trifolii, singulæ drachmæ,

mæ, vino formantur & ex vino meraco offeruntur.

AD EOS qui periculose icti sunt à scorpionibus, aut phalãgijs, aut quolibet serpente. Rutæ siluaticæ seminis, erucę seminis, pyrethri, styracis, sulfuris viui, singulorũ drachmæ sex, castorei drachmæ duæ, sanguine testudinis fingito, ac ternos obolos ex vino meraco, aut aceti semihemina exhibeto.

MEDICAMENTVM dolorẽ sedans ad scorpionum, phalangiorũ, omnisq; serpentis ictus efficax, benefacit etiã ægre parturientibus. Inscribitur autem Calliste, quasi dicas, optima. Myrrhæ, castorej, styracis, singulæ drachmæ, opij drachmæ duæ, chalbani drachmæ tres, apij seminis acetabulum, anisi tantundem, piperis grana triginta: fingitur ex vino daturq; drachma vna ex vini hemina, medicamentum est præstantissimũ.

ABASCANTI medicantis Lugduni. Piperis albi grana viginti, castorei, opij, croci, myrrhæ, iris illyricæ, herbæ pedicularîæ, chamædrys, bryoniæ radicis, pyrethri, singulorũ par modus, vino formantur: drachma vna ex eis datur, cum ternis vini meraci cyathis.

ANTIDOTVS ad Scorpiões, & mini-

me fallax, quam ſtudio quidam in Libya habitans nobis donauit: hac autem ille vtens omni periculo eos, qui à ſcorpionibus morſi erant, liberabat: iam ad præcautionem optima eſt: bibitur autē ab his qui nondum icti ſunt, ad futurorum ſecuritatem. Sulfuris ignem non experti, ſulfuris fosſitij, vtriuſque libræ duæ, piperis albi drachmæ quatuor, opopanacis, ſabinæ, thuris maſculi, ſingulorum drachmæ tres, ariſtolochiæ rotundæ, peucedani, myrrhæ, centaurij, ſerpylli chamædryos, chamæpityos, ſcorpiacæ herbæ, anagallidis, bituminis ſingulorum drachmæ duæ. Scriptum autem eſt etiam romane, herba ceiceſtri drachmę duæ, hoc eſt, betonicæ, medullæ ceruinæ, crocodilli terreſtris carnis, vel ſcinci dicti, ſingulæ drachmæ: vnumquodque prædictorum cōtunditur, & tenuiſsimo cribro incernitur, deinde vna miſcetur, & ne diffletur, ſeruatur, quum vſus exigit, datur affectis cochleare, & vini meraci cyathi duo, pręcautionis autem gratia ad annum bibant, vt qui afficientur tuto trāſeāt. Oportet autē initio bibētes hoc medicamentū ad pręſeruationem, illo die neque lauare, neq; venerē exercere.

Zoili

Zoili medicamentum. quo vſus eſt Epaphroditus Carthaginēſis,leuat dolorem protinus:potũ,etiam ad annum, pręſeruat. Sulfuris viui librę quatuor, thuris libra vna,ſabinę,ſtœchados, ariſtolochię,ſingulorũ drachmę ſex, myrrhę drachmę quinq;, medullę ceruinę, opopanacis,ſingulorum drachmę quatuor,dictamni cretici drachmę tres,bituminis,ſerpylli,ſcordij,rheu,trifolij,cētaurij,chamędrys,piperis albi,abrotani ceſtri,polij,coaguli hœdini,anagallidis, ſingulorũ drachmæ duæ,crocodili terreſtris drachmæ decem, præparato quē ad modum dictum eſt,affectis cochleare & vini meraci cyathũ propinato: benefacit etiam ad præſeruationem ſemel anno exhibitum.

Epithema ad ſcorpionum ictus.Lauri folia cum vino cocta,tritaq; imponito: vel liliorum radices tritas cum aceto applicato.

Aliud. Ariſtolochiæ in vino coctæ, & rutæ ſurculorum nitriq; æqualis portio trita ex vino accommodatur.

Aliud.Cancrorum fluuiatilium, cachryos, herbæ pediculariæ, rutæ, par modus.

Aliud,Chamęmeli,nigellæ, nitri ru-

bri, paria pondera, detrita ex aceto accommodantur.

ARABAE Thebani medicamẽtum ad ſcorpionis ictus accommodum. Chalbani, reſinæ terebinthinæ; vtriuſque drachmæ duæ, herbæ, pediculariæ, pyrethri, ſulfuris viui, ſingulę drachmę, myrrhæ, piperis, vtriuſque drachma.i, S. picis liquidæ quod ſatis eſt.

AD phalangiorum morſus Ochlagogi. Spondilij ſeminis, nepitæ, æqualis portio vnà teritur drachmę vnius inſtar, cũ duobus vini cyathis, ſæpius die propinatur. hoc Chariton vtens, conuentus hominum circũibat, cupiens, commorſis auxiliari.

ALIVD Sẽmię Medi. Liquoris cyrenaici, dauci cretici, menthæ, nardi indicæ, cuiuſq; partes ęquales, formãtur ex aceto, daturq́; denarius cum quatuor aceti cyathis: at is qui biberit in aquam calidam demittitur.

ANDREÆ ad phalangiorum morſus. Herbæ pediculariæ, pyrethri, myrrhæ, opij, bryonię, chalbani, ſingulorum æqualis portio: formantur paſtilli ex vino odoro, daturq́; drachma cum paſsi hemina.

ALIVD valde generoſum. Cachryos,

rutæ ſiluaticæ ſeminis, piperis albi, herbæ pedicularíæ, myrrhæ, ſingulorum drachma, cyperi radicis drachmæ duæ, formantur ex vini odorati cyathis quaternis, & mellis cyatho vno.

Ad phalangia, ſcorpiones, & omnis ſerpentis ictum, vt vſus eſt Diophantus. Caſtorei, piperis albi, myrrhæ, lachrymæ papaueris, ſingulorum æquale pond': vino diſſoluta, in paſtillos cogito, ac tres obolos cum tribus vini meraci cyathis propinato, vt Diophantus.

Aliud. Mandragoræ corticis, piperis albi, caſtorei, lachrymæ papaueris, ſingulorum pares portiones: præparato ex hibitoq;, quem ad modum prędictū eſt.

Aliud ex commentariis Apollodori, quod etiam Tarētinus in opere ad Aſtydamantem inſcribit ad omnis ferę ictū, & vehementiſsimos dolores, vterique ſtrangulatus. Cicutæ ſucci, hyoſcyami vtriuſque drachmæ quatuor, caſtorei, piperis albi, coſti, myrrhæ, opii, ſingulæ, drachmæ. Hæc læuigata ex duobus paſſi cyathis, terito in ſole, donec coierint, ac fingito paſtillos ad fabæ græcanicæ magnitudinem: dato cum vini cyathis duobus.

Aliud Heraclidis Tarentini ad pha-

langia & omnis virulenti serpentis ictũ: idem potum auxiliatur. Cachryos, rutæ siluaticę seminis, piperis albi, myrrhę, cocci gnidii, costi, pyrethri: herbæ pedicularię, singulorum ęqualis portio, cyperi dupla: aceto dissoluta, melleque excepta imponito.

ALIVD ad phalangia & omnis venenosi serpentis ictum. Herbę, pedicularię, pyrethri, myrrhæ, liquoris libyci, singulorum drach. iiij. bryoniæ radicis, chalbani, æqualis portio: aceto dissoluta, & melle excepta accommodantur. Idem etiam potum vehemẽter auxiliatur.

EPITHEMA ad phalangiorum ictus, & omnis serpentis. Idem quoq; in potu auxiliatur. Hoc Simmias ochlagogus vsus est. Sulfuris viui, chalbani, vtriusque denarii quatuor, liquoris libyci, nucum auellanarum purgatarum, singulorum drach. ii. vino dissoluta & melle excepta imponuntur.

ALIVD. Rutæ siluaticæ seminis, herbæ pediculariæ, erucæ seminis, cachryos, viticis seminis, cupresii globulorum singulorũ acetabulum, vino soluta & melle excepta applicato. Idem quoq; in potu proficit. Et hæc quidem

ha-

hactenus. At in viperarum morsibus, subiectis vtendum est confectionibus.

AD viperarum morsus Dorothei Heliæ. Dicit itaq; hunc in modū: Potionibus quidem vsus sum simplicibus, ex aceto dimidia hemina calefacta potaq; prodest. Aristolochiæ corticis drachmæ duæ in vino aut aceto hemina dimidia. Item trifolii seminis tres oboli in dimidio vini cyatho, panacis chironii drachmæ duæ in aceto, coaguli hinnuli drachma ex aceto, testudinis marinæ exiccati sanguinis drachmæ. ii. ex aceto. Inter composita quod ab Apollodoro compositum est, & à Sostrato cō mendatum, ac omnibus qui ab eo acceperunt, quod ex sanguine testudinis constat, ita habet: Cumini siluestris seminis acetabulum, testudinis marinæ sanguinis aridi drachmæ quatuor, alibi stateres duo, coaguli hinnuli, sin minus, leporini tres, hœdini sanguinis drachmæ quatuor: omnia mixta vinoq́ue optimo excepta, reponito: in vsu magnitudinem oliuę sumens, conterito, ex vino quam præstantissimo, cyathi dimidiū potui dato: si medicamētum, reuomat, rurs' oliuæ dimidiū, sicut predictū est, exhibeto: ac rursus si eiicit, tertio fa-

bæ ægyptiæ instar porrigito, quem ad modum à me dictum est prius.

Medicamentum Rustici à vipera morsum.

Trifolii, spicæ, erui insolati, rutæ siluaticæ seminis, aristolochiæ rotundæ, singulorum drachmæ octo: vino soluta in pastillos redigito, datoq; denarium vnum cum tribus vini cyathis, bis terq; die.

ALIA AB EVDEMO NVmeris conscripta, theriaca Antiochi Philometoros, cuius initium ita sonat.

Hoc cape præsidium ad serpentia, quod Philometor
Vsu præcipuum reppetit Antiochus.
Meu drachmas binas radicis ponito, tantum
Germina serpylli ponderis accipiant,
Et panacis totidem drachmas liquor afferit aquæ,
Trifolii quantum drachmula fructus habet,
Oxybaphum marathri, necnon ameos, & anisi,
Atq; apii: sument semina quæq; suum,
Ast erui pones acetabula bina farinæ:

Omnia

Omnia cum Chio nectare consocians,
Orbiculos fingens, iusto qui singuli in illis
Drachmæ dimidium pondere constituant,
Hos quicunque Chio commistos hauserit orbes,
Amarum virus discutiet vipera.
Hoc autem effugies horrenda phalangia potu,
Scorpi etiam stimulum non vereare grauem.

At particularia hæc sunt: Meu radicis, serpilli, opopanacis, singulorũ drachmæ duæ, trifolii seminis drachma, anisi, fœniculi, ameos, apii seminis, singulorum acetabulum, farinę erui tenuissimæ acetabula duo, vini veteris quantum ad excipiendum sufficit: pastillos fingito siccatoq; in vmbra, & ternos obolos cum tribus vini cyathis dato.

Heraclidis Tarentini enneapharmacum: hoc in opere ipsius de feris descripsit: habet autem in hunc modum. Myrrhæ troglodytidis, opopanacis, lachrymæ papaueris, singulorum drachmæ duæ, bryoniæ radicis drachmę quatuor: hanc alii psilothron, alii vitem siluaticam, alii madon, alii chironiam, alii cer-

cida vocant:aristolochiæ longæ corticis drachmæ quatuor(in totũ enim radicũ cortices multo vtiliores sunt, quàm medullæ) pyrethri radicis drachmæ quatuor, rutæ siluestris seminis, cumini æthiopici, trifolii seminis, singulorum acetabulum, omnia contusa, cribrataque aceto excipiuntur, gummi prius macerato, vt glutinosum aliquid habeat, pastilliq; finguntur, & in vmbra siccãtur: in vsu, datur pastilli dimidium vel cũ vino, vel cũ aceto, foliis rutæ incoctis:idq; frequẽter die fiat:vt plurimũ duæ drachmæ medicamenti existant:nã plus exhibitum vomitum prõritat: quare non amplius exhibere adhortamur: vomitu autem oborto rursus dari debet crebro medicamentum die: quinetiam affectum nutrire conuenit, & vino temperato recreare, ac id subinde facere immo etiam aqua calida fouere, & ea quæ iuuare possunt, superfundere. Cæterum affecti loci decubitus decliuis esto.

DOROTHEI medicamentũ, cuiuslibet serpentis ictui accommodatũ. Radicis verbasci fœmellæ corticis, trifolii seminis, singulæ drachmæ, opopanacis, serpylli, meu, coaguli hinnuli, singulorum

drach-

drachmę duæ, apii seminis, ameos, fœniculi seminis, anisi seminis, singulorum acetabulum, eruorum insolatorū denarii duo: arida contusa, cribrataq;, vino ariusio excipiuntur: dissoluto in eo coagulo & opopanace, pastilli fiunt, danturque pro virium ratione, iis qui iam valide malo detinentur, drachma, et vini hemina: aliis autem, tres oboli. Vsus est etiam medicamento ad intestinorum vitia, & quorum volebat affluxionem noxiæ materiæ ad vesicā perducere. Item ad tusses & ad alios quoque casus, ceu vehementer generoso vsus est, in virulentis quidem, ex vino: in aliis autem, ex aqua.

ALIVD Hybristi Oxyrynchiti medicamentum, ad omnis venenati ictum vtile: inscriptum ab Apollonio Memphite: hoc modo conficitur. Aristolochiæ, panacis, viticis seminis, singulorum drachmæ quatuor, cachryos, myrrhæ, piperis, seselis massaleotici, nardi indicæ, castorei, cinnamomi nigrī quā tenuissimi, piperis longi, liquoris cyrenaici, iridis, rutæ siluestris seminis, singulorū drachmæ duæ, hyperici drachma: omnia cōtusa & tenuissimo cribro increta in pastillos coguntur: vino marinæ

non

reliquoss autem affectus, ex mulso.

Epithema ad viperæ morsus. Sagapeni, piperis, liquoris cyrenaici, opopanacis, singulorum pars vna, chalbani, sulphuris viui, singulorum drachmæ duæ: arida tundito & subtilissimo cribro incernito: liquores autem† solutos, aridis, iniicito, fiatque emplastri spissitudo atque ictibus imponatur, extrinsecus autem folia fici, vel vrticæ.

Hic nonnulli addunt aceto.

Aliud. Cardamomi, eryngii radicis, sulfuris viui, piperis, singulæ partes, myrrhæ, chalbani, singulorum partes duæ: præparato vt est prædictum,

Aliud. Centaurii, aristolochiæ, peucedani radicis, singulorum æqualia põdera: contusa, cribrata, aceto superfuso, chalbano, excipito, & vtitor sicuti prædictum est.

Aliud. Cachryos, herbæ pediculariæ, bryoniæ radicis, aristolochiæ, singulorum pars vna, myrrhæ, opopanacis, singulorum partes duæ: aceto consperſa excipito, vt prædictum est. At quia numeris comprehensa facilè in memoria habentur, & ponderis medicamentorum symmetriam inculpatam obtinẽt, satius mihi visum est, etiam Damocratis versus hic ascribere: Sonant autem hunc

hunc in modum:

Nunc tradere medicinas est propositum,
Quæ morsibus duntaxat medicari queant
Virus iaculantium, anguium, atq; cherſy-
drum,
Item cerastum & aspidum. sic ictibus
Animalium ferorum, & morsibus apium,
Et scorpionis, vesparum, phalangij,
Sic præparato: drachmæ illyricæ octo, iri-
dis,
Opopanacis, zingiberis, & meconij
Roris marini radicis, tum cretici
Omnis trifolij seminis, bis quatuor,
Aristolochiæ prælongæ, atq; seminis
Siluaticæ rutæ, vtriusq; duodecim,
Albissimæ radicis sedecim bryoniæ.
Ac herbulæ serpylli, necnon smyrnij,
Castoreiq; pontici, pares horum modi.
Eryngij verò, ad hæc apij seminis
Aethiopici recentis maxime insuper,
Denarij, bis terni singulorum erunt,
Eruiq; candidi purgati duodecim.
Hæc omnia arida & cribro increta exci-
pe
Vino, pilulas, vel orbiculos effingito,
Denarium propinato medicaminis.
Et heminam, non commixtam vini optimi,
Pinguis, vetusti, iam subactũ aqua, facit
Drachma dimidio, coli aut vẽtris flatibus,
Et

Et citra manifestam causam dolentibus.

ALIA.

Medicina præstantissima, qua vidimus
In potionibus vtier, qui vipera
Capta recenter, offensi sunt morsibus,
Hanc gentem referunt natura vix affici
A morsibus ferarum, Psyllos nuncupant.
Nec ui hac alios morsos venisse ad integrũ.
Melissophyllon molle vmbris exicca,
Factum aridum contundito, hinc denarios
Bis octo, aristolochiæ teretis addito, aut
Longæ aridæ, chamædryos, myrrhæ bonæ,
Troglodytidis, cuiusq; horum drachmas decem.
Hac tunsa in gyro, tenui incerniculo colæ,
Mellis mediocri mensura hac in vnum cogito.
Dato denarii instar, aut paulo amplius,
In plenioribus aquæ cyathis decem.
Sunt qui foliorum longorum & recentium
Succum pari expressum mensura, potui
Vino bono permixtum, protinus offerant.
Mensura tota est antidoti, cyathi decem,
Aut pauciores paulo, aut paulo plures.
Et folia contrita illeuerunt morsibus.

ALIA.

Ad omnium venena pharmacum efficax
Serpentium, sed viperæ potissimum.
Repositum semper habeas coagulum recens

Cerui

Cerui hinnulorum, nam præcellit recens,
Hoc nanq; stomacho vetusto gratum magis.
Denarium istius, cyathis binis cape
Vini Falerni, & mediocris aquæ & temperans,
Et quos momordit mala fera, his da.
Læsisq; obambulare & vigilare impera.
Quod si locus commorsus hoc admiserit,
Et balnea ingredi, atque in his aliquandiu
Manere, necnon rursus paulo postea,
Quem ad modum prædixi, sumere coagulum,
Quod noxiis letalibusue sit efficax.

ALIA.

Antidotus ad rabiosorum morsus canum,
Qui mentem alienātes vexant latratibus,
Metuq; cuiusuis liquoris, maxime
Potus, idq; sine ratione, vt si viderint
Vel paululum prorsus aquæ, protinus
Tremore crucientur, conuulsionibus,
Peruigiliis continuis, & deliriis.
Vitam peragentes, moriuntur citissime,
Qui si repente effugiant diros metus,
Hæc manent tamen illos symptomata,
Confestim morsos quia diu iam tenent.
Proinde eiusmodi vt morsus vindices,
Omnino antidotum habeas sacram repositam.

Nam

Nam hanc qui biberint, sicut nos percensebimus,
In nullum facile concident incommodum,
Ipsum parato, Cancros fluuiatiles
In candida Vitis sarmentis Vrito,
Seruaq; diligenter tritum in pyxide,
Et gentiana radicem incretam probo
Alio Vase conde, & cum exigit res,
Inspergito suauis Vini cyathis tribus:
At mystra cineris magna sarmentum duo,
Sed gentiana lauigata, Veluti diximus,
Mystrum Vnicum sic bibere totum pracipe,
Tribus subinde diebus morso ieiuno porrigens.
Sin forte primum pratergressus est diem,
Et simplicem duobus aliis afferens
Modum, duplum secundo addes medicamini
In Vini cyathos tres mittens, Vt diximus,
Vel in tribus si morsus fuerit grandior.
At gentiana lauigata tres quidam
Dant obolos dies Viginti duos
Ex cyathis cribus Vel amplius parum.

ALIA.

Hanc etiam Vsu comperisse Niceratus
Aduersum aqua metum, recensuit,
Ipsi atq; amici qui norunt medicaminum
Insignium proprietates discernere.
Lycii patarici ternos obolos optimi;

Sed indicij præstaret, si copia datur:
Iubebit offerre dies viginti duos
Ieiuno, aqua, sicut vobis dictum est nuper.
Narratur hæc præstare quoque brettanica
Potus similiter succus, veluti lycium.
Atq; hoc apud nonnullos est miraculum,
Vt si bilis mystra duo, binis temperans
Aquæ cyathis, ieiuno ad tres dies dato,
Ad morsus rabiosorum, sed quum plurimi
Magis laborant affectu & rabiunt canes,
Emplastrum habeto quo vtor contra morsuum
Tergendam saniem, si quid liuidum aut nigrum
Vulneribus adhæret: quo albato pluribus
Diebus emplastrum insectum permittito,
Latius efficiendo vulnus medicamine,
Quod ducere poßit crustam. confert insuper
Ferarum reliquarum virus iaculantium
Ad ictus, itidem morsus, atque spicula
Prauis medicamentis infecta, & omnia
Maligna corporis totius vlcera,
Terræ nigræ ampelitidis, & bituminis,
Spuma bona argenti, atque olei, denarios
Fac singulorum quinquaginta horū trium.
Verum propoleos bis vigenos Attica.
Aristolochiæ quatuor, sic symphyti,
Quatuor marrubij, necnon helenei pares,
Chamæleontis quatuor, tres smyrnij,

Tot

Tot candidæ iris aridæ drachmas bonæ
Tres omphacinæ gallæ, sex aluminis,
Polijq́; totidem, chalbani obolo largius,
Thuris duodecim non secti drachmas semis,
Chalcitis autem tostæ drachmas quatuor,
Centaurij tenuis sex, mellis Attici
Denarios bis denos mittes noui.
Sed fac diligenter ipse præsens præpares,
Siquidem ocyus etiam valde comburitur,
Terram ampelitidem mittens & lithargyron
In fictile nouum magnitudinis bonæ,
Adiunge leue oleum, molliq́; igne incoquas.
Quum sordidum videbis, tunc inspergito
Chalcitem, alumen: alia rursus ollula
Mel, chalbanum, propolim, reliquaque liquanda
Liquato, modice feruida superfundito
Lithargyro, calefaciens pauxillulum.
Quum videris manus ceu emplastro haud infici,
Tunc herbulas adde & reliquas radiculas.
Sublato ab igne confestim iam fictilj,
Refrigera parum, medicamen commouens,
Palmis valentioribus permolliens,
Reponito, conseruans pelle conditum.
Valet sagittarum infectarum pharmaco
Vulneribus, veluti morsibus serpentium.

Item Iaculantium virus animalium.
Quare medendi existit consimilis modus,
In his enim carnem oblæsam scalpro statim
Circuncidere necesse est, & cucurbitas,
Si liceat, admouere flammis vulneri,
Acribus & medicamentis ac vrentibus,
Id longiore seruans latum tempore,
Quod indicaui prius in commentario
Alio, iis qui medicamina tradita desiderent
Efficere, quæ scalpro fiunt, vrentibus.
Sunt vtiles antidoti in potionibus,
Quas viperæ dari in morsibus iussi.
Item coagulum ipsis offer hinnuli,
Et gentianæ, vt rabiosorum morsibus
Afferre oportet, reliqua sicut docuimus
In illis facere: quippe hæc istis congruunt,
Succumq; Cyrenæum istis fac temperes:
Sin copia negetur, des etiam Medicum,
Aqua duobus cyathis oboli pondere,
At gentianæ, quantum oboli tres pendeant,
Est autem melior succus quàm radicula.

HERAE Antidoti Theriacæ, quæ etiam et nos experti sumus. Theriaca qua vsus est Marcus Cathegetas. Trifolii bituminosi seminis pars vna, aristolochiæ rotundæ pars vna, rutæ siluestris pars vna, erui insolati pars vna: vino excipiuntur, fiunt-

fiuntque pastilli drachmarum quatuor, datur vnus ex vino & oleo. ALIA. ad viperarum morsus. Fraxini foliis contusis expressisque succum ex vino potui dato, foliisque contractis vulnus obducito. ALIA ad phalangiorum morsus. Vni pastillo Trigonis misceto piperis grana tredecim, seminis phylli grana quadraginta: ex diluta vini potione calida ad triduum propinato. ALIA idē faciens.

Aristolochiæ creticæ longæ drachmā, cumini ægyptii tres obolos, rutæ siluestris seminis drach. sex, liquoris cyrenaici drachmas tres semis, minii lemnij, drachmas decem, myrrhæ drachmas septem, opobalsami drachmas octo, piperis albi drachmas duas semis, cachryos drachmas quatuor: contusa cribrataque melle conspergito, ad fabæ ægyptiæ magnitudinem ex aqua calida propinato: quod si valentiori vti velis, duplum exhibeto. ALIA post commemoratas prius antidotos theriacas. Haud noui quo modo potionibus ad coxendicum dolores duabus citra ordinem conscriptis, postea rursus antidotos addiderit, zopyrion dictam: ac aliam, quandam, ex variis misturis constantem, omnibus (vt inquit) letalibus accom-

modam, siue antea, siue post assumatur. Cæterum congruit etiam ad rabiosorum morsus, pleuriticos, & internos dolores vniuersos, quem ad modum & ad mulierum vitia confert. Post hanc rursus aliã multiplicis vsus tradidit ex centum rebus compositam, eximiam vero (vt ait) ad letalia, & à cerusa suffocatos. Deinde secundum hac, illa quæ lemnia terra constat, apposuit, de qua iam prius etiam egi, Damocratis carminibus ascriptis. Itaque alia quæ ex centenis medicamentis conficitur prætermissa, satis mihi erit zopyrion, & post eã scriptã adiicere. Præterea ea quod ex lemnia terra constat omissa, quæ centum simplicia recipit. Respondet enim zopyrium antidotus cum ea quã Andromachus tradidit, ad omnia efficax: sed peculiarius ad letalia, iecinorosos, inflationes ventris, & incipientes aquæ subter cutem suffusiones, præsertim in quibus id quod insidet largior est spiritus. Myrrhæ drachmæ quinque, nardi syriacæ drachmæ quinque semis, iunci rotũdi floris drachmæ duæ semis, casiæ drachmæ quatuor, cinnamomi drachmæ tres, piperis albi sesquidrachma, thuris drachma & obolus, costi drachma, melle atico excipiuntur, finguntur que nucis auellanæ instar,

dan-

dantur ex mulſo vel aqua. ALIA. antidotus, omnibus letalibus faciens, et præſumpta & poſtea data: valet etiam ad rabioſorum morſus, itē ad pleuriticos internoſq; dolores: accommodatur etiam mulierum doloribus & vitiis. Dulcis radiculæ drachmæ ſex & ſeſquiobolus, dauci cretici ſeminis tantundem, opii drachmæ quatuor, oboli duo, caſtorei drachmæ duæ, obolus vnus, piperis longi drachmæ ſex, oboli quatuor, coſti drachmæ ſex, oboli duo, ſpicæ nardi drachmæ. vi. ſeſquiobolus, caſsiæ nigræ drachmæ quinque, oboli duo, thuris maſculi ſeſquidrachma, ſeſelis drachmæ quinque oboli duo, ſcordii drachmæ ſex, oboli duo ſemis, hypociſthidis ſucci drachmæ ſex, acori drachmæ duæ, malabathri foliorum drachmæ ſex, obolus vnus, ſagapeni drachmæ duæ, balſami fructus drachmæ quinque, oboli duo, myrrhæ drachmæ ſex, croci drachmæ ſeptem, oboli duo, ſtyracis drach. ſex, cinnamomi drachmæ ſeptem, oboli duo, zingiberis tantundem, piperis albi drachmæ quinque, oboli duo, phu, drachmæ quinque, petroſelini drachmæ quatuor, nardi gallicæ drachmæ quatuor, oboli duo ſemis, hyperici drachmæ duæ, acaciæ ſucci drachmæ

duæ, gentianæ drachmæ quatuor, iris illyricæ drachmæ duæ, anisi drachmæ tres thlaſpis drachmæ ſex, oboli duo, ſemis: roſarum ſiccarum drachmæ quatuor, meu drachmæ duæ, gummi drachmæ duæ, cardamomi drachmæ quatuor, iūci rotūdi floris drachmæ ſex, oboli duo, opopanacis drachmæ ſeptē, opobalſami drachmæ ſex ſemis, chalbani drachmæ tres, oboli duo, reſinæ terebinthinæ drachmæ ſex, oboli duo, agarici drachmæ ſeptem ſemis, cyphis drachmæ ſex, bdellii tantundem, ſcinci drachmæ duæ, amomi drachmæ tres, polii drachmę quinque, oboli duo, dictamni drachmæ ſex, rutæ ſilueſtris ſeminis drachmæ quatuor, ſigilli lemnij drachmæ duæ ſemis, eriſimi drachmæ quatuor: vino phalerno & attico melle excipiuntur. ALIA antidotus, ad letalia valet præſumpta & poſtea data, nihilq; reliqua medicamenta exhibita impedit: quum vero data fuerit, nauſeam mouet, vt totum quod perniitioſum eſt, expellatur. Minii ſigillii lemnii drachma, oboli duo, baccarū iuniperi drachmæ duæ, oleo quamoptimo trita excipiuntur. Datur nucis auellanæ magnitudo cum mulſo. Ex commentariis Aphrodæ ad aquæ metum. Lathytidis vncia, caſtorei drachmæ

mæ tres, Læuigata cum hemina rosacei dantur potui. CATAPOTIVM eiusdem ad aquæ metũ. Castorei sesquidrachma, lathyridũ grana nouem, dato. ALITER, authore Nicostrato. Castorei drachmæ octo, lycii indici drachmæ.iiij. gentianæ drach.ii. cancrorũ combustorum sesquidrach. melle mixta dantur. AD aquæ metũ mirabile. Si aqua in qua fabri ferrũ abstergunt, inscio artifice, exhibeatur, mirũ in modũ proficit: at iis qui iam aquã extimescunt, vt bibant, poculo panniculum ex sella supposito, & bibitur. Benefacit etiã gentiana per se, tribus cochleariis cũ aqua. AMARANTI grammatici ad pedũ dolores, quo etiam ipse vsus est. Rheu pontici drachmæ decẽ piperis albi drachmæ octo, petroselini, agarici, hyperici, acori, eryngii, singulorũ drachmæ sedecim, cardamomi, thlaspis, acaciæ, dulcis radiculæ, rosarũ siccarũ drachmæ † octogintaquatuor, fœniculi seminis drachmæ duæ, aristolochiæ lõgæ drachmæ duæ, & rotundæ, oximyrti seminis vtriusque drac. iii. apii seminis drac. tres, napi siluestris seminis drachmæ tres, zingiberis tantũdẽ, gẽtianæ drachmæ sex, scinci drach.ii. thuris drachmæ quinque, phupontici drachmæ tres, erysimi drach.

Forte quatuordecim.

mæ ſex, iris illyricæ drachmæ tredecim, caſsiæ libycæ, iunci rotundi floris, ſpicæ nardi, ſii, ſcorpiuri, ſingulorum drachmæ ſex, mellis quod ſatis eſt: datur nucis auellanæ magnitudo ad annum. ALIVD vt ego vtor. Chamædrys drach. octagintaquatuor, ſcordii drachmę tres, petroſelini tantundem, cardamomi tantundem, marrubii, gentianæ, vtriuſque drachmæ quatuor, centaurii drachmæ quatuor ſemis, ariſtolochiæ rotundæ tantundẽ, mellis quod ſufficit: datur ad nucis auellanæ magnitudinem, cum aqua ad annum.

GALENI ADVMBRATA Figura Empirici, Dominico Caſtello interprete.

SECTAE Empiricæ ſtudioſi eos philoſophos ſecuti, qui quoniam de quacunque re dubitabant, Sceptici à græcis dicti ſunt, ab animi potius affectione, quàm ab Hippocrate ſe Empiricos appellari voluerunt, vt neque ab Acrone propriæ diſciplinæ authore Acronei & ipſi vocarentur, ſicut & alii medici Hippocratici, Aſclepiadei, Praxagorei, Eraſiſtratei cognomento appellantur, vel

vel potius à Critone, Philiſtione, aut Serapione denominari vellent, qui licet Acrone iuniores ſint, reliquis tamen Empiricis ſeniores habeantur, atque hæc de cognomine dicta ſufficiant. Cæterum illud Empiricis cauendum eſt, nequid ab indicatione inueniri poſſe arbitrentur, nõ enim, ſicuti Dogmatici, credunt medicinã tũ indicatione, tum experimento conſtitui, ſed totum dant experiẽtiæ, quę & ipſa crebra, cõſimiliq; rerum obſeruatione cõſtare fatẽtur, quorũ ego tibi diſciplinã quænam, qualisue ſit (modo mihi animũ præſtes) breuiter ſimul, & perſpicuè declarabo. Fac igitur Empiricum de his omnibus, quæ hoc in libro continentur, ita diſſerere. Negamus medicinam ab indicatione conſtitui, ſolæq; experientiæ inniti volumus, voceturq; experientia alicuius rei notitia ipſamet inſpectione comparata, ſicuti quæ recta cogitatione perficitur indicationem appellant, ſenſu enim duæ in experientiam imus, quemadmodum ad indicationem ratio ipſa perducit dogmaticos. Porrò cognitio hæc, quam ſenſus ipſi conciliant interdum fit re aliqua temerè a nobis inſpecta, vnde etiam temeraria appellatur, interdum vero conſilio, vel eorum imitatione, quę antea vidimus,

dimus,rursus & ipsi temerarij euētus, vel sorte quadam, vel natura sunt, exempli gratia, si ille,cui occipitium dolet, forte decidat,frōtisq́; recta vena vulnerata, & inde multo effuso sangnine dolere quam primum desinat,forte euenisse dicemus, natura vero, vt si febre laboranti sanguis de naribus defluat,& deinde à febre liberetur. Exempla autem experientię, quę a cōsilio proficiscitur, sint eiusmodi, siquis febrem euadat, quia prę nimia siti vel aquā biberit,vel mala punica comederit. aut quid tale assumpserit. Præterea si in monte à serpente quis saucius, hac vuulneri admota herba,cōsanescat. Sed ab imitatione dicta experiētia ea est, nam si quispiā illud æmuletur, quod semel, aut iterū,vel frequēter vsurpatū animaduertit,imitatricem, seu ęmulam experientiā fecisse dicetur, cum dico frequenter non quasi ex alio semper succedat intelligo, sed quia vtplurimum, vel ęquabiliter,aut raro cōsequatur &c. Iam vero τριβικὴν, id est, vsu tritam experientiam soli habent artifices,qui per quandam rerum similitudinem,quæ ab ipsa experientia repertæ sunt, in vsu operis seipsos exercuerunt. Experientiam simpliciter appello multorum speculaminū siue theo-

rematum cognotionem,quæ ex frequenti inſpectione conſtituuntur & fiunt. Hæc diſtributa in partes quatuor differentijs diſtinguuntur,quædam enim perpetua eſſe cognoſcuntur,nō nulla vt plurimū eueniunt,ſunt quæ ęquabiliter,demū alia raro contigiſſe certo ſcimus, ob idq́; ſpeculamē appellabimus alicuius rei ſæpe viſæ cognitionem quę contrario euētu definitur, vnde illius,quod perpetuū, eſſe diximus,definitio erit,vt contrarium nunquam eueniat quod vero vt plurimū oppoſiti raro euētu diſtinguetur ſic quod æquabiliter fit, quia partes ſint euentus cōtrarij, & quod raro contingit,quia nō aliquando,ſed vt plurimum contingant oppoſita,dignoſcetur,quę vero citra talem aliquā diſtinctionem tenemus,vtpote vaga inordinataq; cognitio ab experientia penitus ſeparamus, tametſi confuſam hanc notitiā particulam quandā experientiæ appellare viſum ſit Menodoto,vt quæ non ex alijs particularibus experiētijs cōponeret, eſſetq; hac de cauſa, vt idē author eſt, prima & ſimpliciſsima, ſicuti enim ex multis rebus expertis tota cōficitur ars, ita ſingulæ quæq; res multis habitis experientijs expertæ redduntur,quæ quot numero eſſe debeant, definire

que experientiam dificiturus, quæ ab ipsa inspectione nihil differre facit: experiētia, inquit, est tota rei visse obseruatio: nūc ꝑ memoria, & cognitiōe obseruatio nem vsurpans, quæ conseruatio quoque nuncupatur, hæc cum sit obseruatoris actus, iam constat vel hac ipsa appellatione non proprie dictam memoriam: & cognitionem significari. Ergo his vocibus præter græcorū consuetudinem vsi sunt. τρίβην vero, id est vsum ex consuetudine dicunt. Nam & veteres græci artis exercitationem, quæ circa opera versatur hoc nomine indicant, vnde & τρίβωνα, hoc est vsu peritum, vt qui trita aliqua exercitatione participet, nuncuparunt, sicuti ἔμπειρον, id est, expertum qui ἐμπειρίαν, hoc est experientiam tenet. Empirici vero nomine nunquam vsi sunt, sed qui experiētiam constituerunt, seipsos vocant Empiricos, experiētiamq; non tā vnius speculaminis cognitionē quā totū etiā medēdi habitū appellāt, hāc ex ipsamet spectāte experiētia (isti alio nomine ipsammet inspectionē dicūt) ex historia, & à simili trāsitu cōstare volūt. Est. n. historia (vt aiūt) ipsamet inspectio ab aliquo recitata, à simili vero trāsitus est quasi via ad tritā vsitatāq; experiētiā, qui qdē per similitudinem

nem eorum, quæ experientia ſcita ſunt, in vſum traducitur. De quo illud quęrendum eſt, nũquid totius artis medicæ tertia pars conſtitutiua cenſendus ſit, vt putat ſerapio. Nam cum de huiuſmodi trãſitu nihil docuerit Menodotus, ſed eo dũtaxat vtatur, patet apud ipſum non eſſe partẽ, neq; enim eſt idem vti, & vt parte vti. Et Caſsius Pyrrhonius neque vſum eſſe contendit, in quam ſentẽtiam librum vnum perſcripſit. ſed his longe melius. Theutas, qui eiuſmodi viam, quæ per ſimilitudinẽ procedit, rationalem, & quaſi cogitatricem experientiam eſſe dixit, nec deſunt, qui hunc veluti inſtrumentũ exiſtiment, & rectius fortaſſe dixeris, tã eiuſmodi trãſitum, quam ipſam hiſtoriã artis medicæ inſtrumenta, non etiã partes eſſe debere, eodem modo, & de obſeruãtione cenſendũ eſt, quam velut operationem quandã appellat Theutas, ob idq;, vt opinor, de his ita ſcriptum reliquit. Artis medicæ partes, quibus finem conſequimur per experientiã nobis accedunt, & inſunt, quæ ipſamet inſpectione, hiſtoria & conuenienter facto tranſitu comparatur, & fit. Ecce quod ab experientia medicinæ partes prodire vult, quæ licet inter ſe differãt, omnes tamen cõmuni quadã

ra

ratione in hoc conueniunt, vt memoriæ ſint. Et profectò cõmodius ob eam rem dicet aliquis experientiam eorum eſſe memoriam, quæ frequenter, atque eodẽ modo viſa ſunt. Quod ſi cui magis placet pro memoria obſeruationem dicere, experientiæ deſcriptio talis erit, vt ſit rerũ, quas frequenter inſpeximus, obſeruatio. At ſi, vt græci rectè loquuntur, obſeruatio actionem quandam ſignificet, & memoria ſit quaſi ſedes in anima, in quaquę viſa ſunt, reponũtur, planè liceat has ſimul cõprehendere, & experientiam appellare earum rerum obſeruationem, & memoriã, quas frequenter, & eodem modo conſpeximus, alioqui ſi ſolã memoriã vſurpemus, rectius fortaſſe agetur, ſi quidem obſeruatio in ea continetur, quoniã res oculis frequenter atque eodem modo vſurpatas meminiſſe nequimus, niſi aliqua ipſorum præcedat obſeruatio. Sed hæc obiter, vt quæ in compendioſa deſcriptione ex vſu fore putaui, nunc ad Theurã, quippe qui totius medicinæ tres ſtatuit partes, vt altera in ſignorum cognitione, altera in curandi doctrina, tertia in tuendæ ſanitatis ratione cõſiſteret, quæ ſanè partes ipſamet inſpẽctiõę, hiſtoria, atque a ſimili trãſitu acquirũtur. Hęc

quidem tria,qui totius experientię partes appellant,non ſimpliciter partes, ſed cum hac additione nempe conſtitutiuas partes,vt quæ totam medicinam conſtituant,cuius quidem finales partes, tum quę de ſignis eſt, tum curatiuam, ac tertiã ὑγιεινὴν,id eſt, quę ſanitatem tuetur, eſſe affirmant, finales inquam conſtitutiuis ex oppoſito diuidentes. Veruntamen ſi quis exactius velit rem ipſam ęſtimare, non ſunt profectò illę partes, ſed quædã potius medicorũ operationes, notitia enim in animo reſidẽs,qua medicus ſigna dignoſcit,curationem inſtituit, ſanitatẽ procurat,medicinę partes ſunt,ſed nominibus illi abutuntur,vt ſępe ſolent,nos interim rem ſecuti dicimus totius artis medicę partes eſſe,quę de ſignis tractat, curatiuam,& ſanitatis prouidã, prima rurſus in duas partes ſecatur, in pręſentium dignotionem & futurorum pręuidentiã. Curatiua vero in manus functionẽ (χειρουργίαν appellant) in diętam & in φαρμακίαν,id eſt,purgatoriam medicationẽ diſtribuitur. Et recte quidem Empiricorum memores inter diuidendum has voces vſurpamus, conſueuerunt enim tam operationes quàm ſcientias,à quibus proficiſcuntur, iiſdem nominibus appellare.

Ter

Tertia verò quā ſanitatē tueri dicebam, nonnulli indiuiſam penitus reliquerunt, alii in ſpeciem ſibi nomine cognatam videlicet ὑγιεινὴν, & εὐεκτικὴν, hoc eſt, quæ boni habitus curā gerit diduxere, quidā his quoque addunt, præſeruandæ ſanitatis habitum, recipiendæ valetudinis facultatem, & ſenum conſeruatricem peritiam, quam γηροκομικὴν vocāt, nec deſunt qui aliter medicinam partiti ſunt. Nam teſte Herophilo, cum medicina damnorum, morboſorum, & neutrorum ſciētia, triaq; ſint, quibus ſingula iſtorum accōmodari queant, corpora inquam, ſigna, & cauſæ, recte poſſumus tam corpora, quā ſigna & cauſas ſana, morboſa, & neutra appellare. nihil igitur obſtat, quin Empiricā diſciplinā hoc quoque modo partiamur. Nec quanquam aliter ſecare prohibeo, modo nulla artis particula prætermittatur. Itaque Theutas in principio libri, cui titulus eſt doctrina partium, ita inquit, partes medicinæ (alias quoque diuiſiones admittētes) dicimus eſſe ſignorū peritiā, curatiuā, & tuēdę ſanitatis habitum. Ex his patet non eſſe mirum, ſi aliqui duas, quidam tres, alii quatuor, aut quinque experientiæ diuiſiones fecerint, neque propterea diſsidere inter ſe vo-

ſanguinem expuentes irritat, in reliquis vero paſsionibus & ſymptomatibus (ipſa etiam obſeruatione atteſtante) planè inutilis, & ſuperuacaneus eſt, hac eadẽ ratione parui refert, num menſa eburnea, nũ lignea ſit: & phiala ſit ne aurea, an argentea, an vitrea: hæc enim neutrum afferre poſſunt, morbum dico, aut ſanitatem, & ſuperflua ſunt, vt tamen, quæ tetrum, & noxium odorem referunt, non pariter otioſa indicemus, appetitum enim, & digeſtionem cõturbãt, quæ fœtida ſunt, nocentq; vehementi aliqua qualitate prędita, vti cupreſſus, populus, bux', & nux, ſi præcipuè fuerit recens, quocirca & lectum, & portam, & quodcunque ligneũ vas huius generis euitamus, odorẽ pariter omnem, qui caput repleat, appetitum euertat, vel tale quid efficiat, effugimus. Iuuat enim eligere, quæ vtilia ſunt, & cauere contraria, neutrũ verò neque cauendum, neque eligendum eſt. Quapropter medicum ſcire oportet, quæ poſſunt res, nunquid ſanitatem, an morbum, an horũ neutrũ, atque hæc non tam in cauſis, quã in corporibus, & ſignis ſcienda ſunt, nec refert ſcientiam an cognitionem hominẽ habere dicas, aut artificem, vel ſcientem, aut artem vel ſcientiam addiſcere, ſicuti

parum intereſt, ſi forte inflammationem morbum, vel paſsionem appelles. Quod de ſymptomate dicendum non eſt, ſymptoma.n.eſt ſimplex quædam res, & vna nõ multiplex, & compoſita, vt lateris dolor, tuſsis, ſputũ ſanguineum, vel ſubflauum, vel liuidum, item ſpirandi difficultas, & calor præter naturam, quorum omnium congeries morbus, & paſsio à noſtris nominatur, dicitur preterea lãguor, & ægritudo, placet enim conſueta apud nos vocabula recenſere, & ſi qua ignorentur, horũ ſignificata de cõmuni conſenſu accipere. Quẽadmodũ ad propoſitã orationem & doctrinam, quæ inter nos habetur, ſit ſatis docuiſſe, abſolute ſymptoma nuncupari vnum aliquod eorum, quę præter naturam ſunt, veluti colorem, tumorem, inflammationem, ſpiritum difficilem, refrigerationẽ, aut tuſsim, paſsionem verò & morbum concurſum, qui ex his conſtituitur. Ita enim & omnes ſuperiores Empirici appellarunt, qui tamen non quãcunque ſymptomatum complicationem morbum eſſe volunt, ſed ſi in ægro corpore confertim appareãt, ſimul augeantur, conſiſtant, inclinẽt atq; ſoluãtur. Vnde & breuitati conſulentes vnumquemq; concurſum propriis nominibus diſtin-

distinxerunt, nomen autem à quopiam quod in singulo esset præcipuum, indidērunt. Verbi causa ab affecta parte pleuritim, & peripneumoniam nominarunt, ab aliquo simptomate inflammationem, & phrenitidem. Sed & à similitudine interdum appellant, vt Elephantem, & Cãcrum. Interdum nomen ipsimet fingunt, vt œdema, scirrhus. Ea igitur omnia, quæ simul semper fiunt, & concrescunt, simul vigent, & declinant, vnaque desinunt, coeuntia vocant, quæ verò vt plurimum fieri solent, assidentia dicunt. Sed & ipsi concursus, alii quidem morbum dignoscunt, & dignotiui appellantur, alii verò futura prænuntiant, & prænotiui dicuntur, quidam curationem demonstrant, quos curatiuos vocant. Atque huiusmodi rerum concursus, quos obseruatione fuimus consecuti, & menti tradidimus, nunc ad memoriam reuocantes vsurpamus, atque hoc nihil aliud est, quàm ipsa experientia vti, quod quidem repetita eorum memoria, & obseruatione, quę vel simul cum alio, vel post idem, vel ante ipsum vidimus, effici potest, quorum singula vel semper, vel vt plurimum, vel æquabiliter, aut raro contigisse scimus. Exempli gratia percusso corde mors

ſemper ſequitur, ſcamonea vt plurimum purgat, craſſa vero cerebri mēbrana vulnerata æquabiles ſortiūtur effectus, & raro ſanatur, qui plagam habet in cerebro, in quibus omnibus & in artis conſtitutione, quam obſeruatione & memoria perficimus, & poſt conſtitutam artē, neceſſe eſt proprium à communi diſtinguere, & definire, quod quidem Empiricorū plerique, vel forte omnes, vt in rebus appellandis ambitioſi ſunt, non definitionem, ſed diſtinctionem nuncuparunt. At noſtra nihil intereſt, vtro nomine quiſque vtatur: modò proprium à communi perſpicuè diſtinguat. Nam licet hęc duo ſint, quorum alterum certā rem ſignificet, alterum diſtinctionem importet, ob idq; rebus definitionem, nominibus diſtinctionem nonnulli attribuant, in vtriſque tamen cōmune à proprio ſegregatur. Sed nomina ſpernenda ſunt, ſicuti monebat Plato, & rerum certæ rationes perquirendæ, omnino enim neceſſe eſt proprium à communi diſtinguere. Id, quod in paſsionum dignotione hunc in modum experimur. Febris acuta, cum difficultate anhelitus, tuſsi, ſputo colorato, cuius ægritudinis ſit iſte cōcurſus, ſi quis à nobis quærat, pleuritidis, & peripneumoniæ communem

munem

munem quidẽ, huius vero, aut illius proprium nunquam esse dicemus, siquidẽ his addatur, dolor lateris acutus, & pũgens, pulsus durus, & tensus, pleuritis iam est hic morbus. quod si ista absint, & nõ nisi recta, & angusta fiat spiratio, ita vt homi nem præfocari quis putet, huiusmodi cõ cursus peripneumonia vocatur. Atque hac ratione in passionũ dignotione, quã σημειωτικὴν, id est, signorum exploratricẽ vocant, proprium à communi distinguitur. In prænotione hoc modo, nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, hæc quid futurum admoneant, siquis rursus interroget, respondebimus, quòd si inval de diuturno morbo hęc accidant, noxam aliquã mediocrem declarant, si vero in principio appareant, mors in propinquo est, sitq; hæc prima à tempore morbi defi nitio. Alia vero ex anteactis colligitur, vt si fluore alui, medicamento purgante, vi gilia, fame, aut quauis alia vacuatiõe quis fuerit resolutus. At in curatione cõmune à proprio ita discernitur. Esto pleuriticus nũquid igitur mittendus est sanguis necne? dicemus non omni venam esse secandam, sed cui vel pleuriticus dictus cõcursus adest, vel saltem robustus fuerit & iuuenis, addo præterea, quòd si idem cõcur

ſus in ſene, aut in puero ſit, venam ſecare, non oportebit, pariterq; ſi in frigidiſſima regione, vt in Sythia, aut in calidiſſima ætatis conſtitutione degat æger, aut exanimatus totis viribus ſæpe deficiat, ſunt & aliæ definitiones, vt ſi ad clauiculam pertingat dolor, melius eſt ſecare venam, ſi vero ad præcordia, purgatione libentius curamus. Ergo ſit hæc rei definitio, quam qui deſcribunt, dicunt eſſe orationem, quæ à communibus, quodcuique proprium ineſt, diſtinguit, & ſeparat. Hanc vt dixi diſtinctionem, non etiam definitionem appellant, tu illis pro libidine vtare, in his enim differentiam non multam facimus, modo Empiricos concurſus à dogmaticis differre ſcias. Diſcernunt nanque ſuos per euidentia Empirici, contra verò ex latentibus proprios effingunt Dogmatici. Nec ſecus Empirica ratiocinatio à Dogmatica diſcordat, altera.n.ex obſcuris, ex euidentibus altera cõſtituit. Hác epilogiſmũ analegiſmũ illã nuncuparũt, ne vel nominibus cõuenire inter ſe videantur. Non diſsimili ratione compendioſas doctrinas deſcriptiones malunt, quàm definitiones appellare. Quanquam nihil erat, cur non & ipſi rationem propriã cuiuſque rei, quæ ex eui-

dentibus

dentibus constat difinitionem empiricam dicerent, quæ verò ex abditis & obscuris dogmaticam nominarent. Atque hæc inter ipsos fit de nominibus controuersia, quibus & modeste, & audacter vti queas, sicuti cōsuetudine abusi Empirici in multis fecerunt. De rebus verò ita vicissim pugnant, quemadmodum antea docuimus. Nam vel rebus oculis cōspicuis, vel sensu petitis memoriis solū credunt. Dogmatici verò non his tantum credendum putant, sed multa præterea esse aiūt, quæ citra obseruationem ex ipsa naturali rerū consecutione ratio conquirit, & approbat. Cæterum Empiricus non tantum definitionibus vel distinctionibus, quæ ab euidentibus sunt, vti solet, sed causas reddit, & ex rebus antea sensu cognitis conficit demonstrationes. Nam finge quæso vna cum vulnere luxatum esse Crus, si quæras ab Empirico, cur membrum nō reponat, sanè inquiet, quia obseruatione didicimus, eiusmodi si in sedem restituantur conuulsionem efficere. Hæc Empiricis perpetuo tenēda sunt, vt ex euidēti obseruatione, & memoria, rationalem scilicet consecutionem penitus negligentes pronuntient, sic artem constituunt, sic docent alios. Atque hoc est vnum,

quo

quo maxime differt bonus Empiricus ab eo qui irrationabilē vſum (ἄλογον τρίβην vocāt) tractat, & exercet, indiſtincte eñ ille & promiſcue agit omnia. Alterū vero eſt hiſtoria, quæ propter magnum artis ambitum neceſſaria nobis eſt, cū.n. vnus in vita cuncta inuenire nequeat, quæ ab vno nō poſſumus, à ſingulis qui ante nos fuerunt, colligimus, vbi eorū ſcripta euol uimus, qui ſi priuſquam de rebus ſcripſiſ ſent, ita commode inueniſſent, quēadmo dum Empiricus inuenire potis eſt, quippe qui diſtincte, ordinateq; procedat, eſſent profecto omnia vera, quæ hactenus ſcriptis prodita ſunt. Sed quoniam non nulli indiſtincta quadam experientia per ſuaſi falſa quædam litteris committunt, alii ne viderunt quidem, quæ ſcribere audent, quidam Dialecticis opinionibus agitati in nonnullis hallucinantur, ob has res non iis omnibus temere credendum eſt, quæ à ſuperioribus memoria tradita ſunt, quocirca diiudicanda prius ſunt, ac deinde illis vti debemus, quod proprium experientiæ eſt, vnde etiam vel hoc nomi ne ab iis diſcrepat, qui irrationábilēvſum profitentur, quos τριβονικοὺς quaſi triuiales dicas appellat Menodotus, verbū hoc ipſe ſibi ex τρίβωνος confingens, tametſi

τρίβων

τρίβων cum significat, qui aliqua in re expertus, consumatusq; fit. Quo fit vt recte illum appelles τρίβωνα, qui in exercitatione sit perfectus, tritaq; spectatione didicerit, triuialẽ vero illum, qui nulla prorsus ratione artem attingit, hoc est, qui neque sciat distinguere, neq; historiam teneat, de qua ne iudicare quidẽ poteris. Et quoniam de nomine historiæ leuis quædã nugatio est, & hanc breuiter percurramus. Historiam igitur rerum visarum narrationem esse dicunt, alii euidenter visarum, quidam ipsiusmet inspectionis enarrationem esse volunt, qui licet verbis discrepẽt, re tamen cõueniũt, orationes enim quas æquipollentes, seu tantundem valẽtes vocant, enuntiãt, quæ omnes differentibus verbis eandem rem significant, re siquidem etiam different, si superius dictis orationibus quid tale adderetur, verbi causa, si dicatur, historia est rerum visarum, vel quasi visarum enarratio, per hanc eñ historiæ descriptionem alia vera, alia falsa erit historia, cùm tamen per superiores nulla prorsus falsa habeatur. Ex dictis sequitur, vt iudicium historiæ iuxta alterũ significatũ seorsum fieri debeat, hoc est, iuxta prius si vera sit historia, per alterũ num vera sit. Sed de nomine vnicuique

sit

ſit liberum, neque enim impedio, nos vero quo modo hiſtoria iudicāda, reuocandaq; in vſum ſit, ſi lubet explicemus, hoc autem nihil aliud eſt, quam de ſcriptis diſcernere quid verum, quidue falſum ſit, aut quid poſsibile, vel impoſsibile in ipſis reperitur, nam & hæc ipſa differentia iuxta Menodotum non inutilis cenſenda eſt. Tu vero mihi mētem adhibeas velim, & quidquid in libris ſcriptum legitur, permittas hiſtoriam nominare, quando & pleriſque medicis ſic placuit appellare. Vna igitur præcipuaq; veræ hiſtoriæ iudicandæ ratio Empiriorum ſententia erit ipſamet inſpectio. Nam eius rei veram eſſe dicemus hiſtoriam, quam ipſis oculis aliquando fuimus contemplati. Sed conſtat huiuſmodi iudicandi via diſciplinæ non multum conferre, neque enim nobis de commentario ea diſcere opus eſt, quæ propriis oculis ſæpe vidimus. Erit igitur vtiliſsima veriſsimaq; hiſtoriæ iudicandæ ratio ſcriptorum cōcordia. Exempli gratia, finge animo me macerem nūquā vidiſſe (eſt.n. medicamē ex Arabia ſtirpis inquā cuiuſdā cortex) de quo qui ſcripſere concordes aſſerunt ventrē aſtringere, nū igitur his fides præſtāda eſt? mihi vero ita videtur, cū præſertim de rebus

ſenſu

ſenſu cõſpicuis habeatur oratio. Nam de occultis vix cõueniẽtiã vllã talẽ inuenias, quæ ſi forte ſit, huic tamẽ inficias ibit Empiricus, quaſi illi ſoli cõſenſus in vita certi, exploratiq; ſint, qui à ſenſibus ſtatim proficiſcuntur, & fiunt: ſic qui naui Cretam, aut Siciliã, aut Sardiniã nunquã perluſtrarunt, has credunt eſſe inſulas, cũ qui ſuiſmet oculi eas circũſpexere, vnanimes ita rẽ eſſe affirment. Ergo ſi experientia edocti ſcimus de rebus ſenſilibus concordiã veram eſſe, cur non credemus macerem citam aluum tenere? pari ratione etſi nunquam rhapontici vires per noſmetipſos antea obſeruauimus, ſtandum tamen hiſtoriæ eſt, ſanguineis alui ſubductionibus conuenire. Proximæ vero huic rationi ſubeſt alia quæ non epilogiſtica, ſed analogiſtica, & dogmatica potius dicenda eſt, vt puta, ſi illi concordiæ credendum ſit, quæ de re ipſa eſt, & de ratione petita, affirmant non tam Dogmatici quam nonnulli Empirici, firma enim, certaq; de rebus concordia quouis modo habeatur, veritatem arguit. At cui curæ eſt epilogiſmus, hoc eſt, qui rerum euidentium ſermones in primis approbat, non illam orationem admittet. Solam enim rerum concordiam, quæ ab aliquibus ſenſu

ipſo

ipſo perceptæ ſunt, veram eſſe putat. Ex his patet, quòd ſi ab obſeruatione ductā conuenientiam veræ hiſtoriæ ſignū eſſe quis dicat, empirice iudicabit, ſi vero à rei natura indicium petat, rationalis iam, & dogmatica erit ſententia. Atque hic eſt vnus modus veræ hiſtoriæ cognoſcēdæ, alter vero, vt ſcriptoris mores, & ſcientiā inter legendum obſerues, ex multis enim eius libris hoc facile conſequeris. Exemplo experiamur, fuit peritiſsimus Hippocrates, fuit veritatis amator, contra Andreas inexpertus, & inſolens. Alius vero iudicandæ hiſtoriæ modus erit, ſi quę narrantur iis erunt ſimiles, quę per noſmetipſos antea vidimus, ſicut macer & rhapōticum, vtraque enim aſtringendi facultatem obtinent, & complura eiuſmodi, quę ventris profluuia ſiſtere, & ſuperfluā ſanguinis deiectionem cohibere poſſunt. Ipſe vero à ſimili tranſitus (ſi Menodoro credimus) non veram, ſed poſsibilem hiſtoriam iudicare poteſt, cui tamen ſi adſit vſus, veram quoque hiſtoriam iudicabit, ſed de hoc poſtea dicemus, interim ſubiiciamus, à re ſimili tranſitum ſi ipſe per ſe ſpectetur viam quandam eſſe ad experiētiam vſitatam. Modos autem iudicandæ rei poſsibilis, quæ habetur ex hiſtoria du

plices

plices esse, quēadmodum & historiæ iudicium duplex est. Rationalis verò transitus ab empirico in hoc differunt, quod ille à natura rei indicante cognitionem accipit, hic sensui manifesta consectatur, neque enim quia simile efficere sibi simile potest, aut quia consimili indigeat, similiterq; patiatur, aut quancunque aliam ob causam persuadetur Empiricus à simili transitum introducere, sed quia experientia rem ita se habere obseruauit. Vt cū similes corporis partes eodem morbo afficiuntur, eadem adhibemus remedia, sic ipsa experientia approbante. Nam consimili ratione femur, vlnam, crus, humerum, pedē, & manum, si quādo vsu venit, curamus. Similes quoque morbi, si vni parti officiāt, eadē præsidia requirunt, vt fluor alui, & difficultas intestinorum. Sed & inter ipsa auxilia similitudo spectatur, ita mespillum, & citonium in alui fluore idē fere posse obseruatione didicimus. Sed nō solum qui a simili fit transitus, sed etiam, qui à contrario ad contrarium est, cōgruus habetur Empiricis, quem tamē negat Dogmaticus. Vt puta si diutius admota similia remedia nihil proficiāt, cōmodus erit transitus ad cōtraria, qui & ipse per similitudinē eorū, quæ antea experientia

probata ſunt, tuto perficitur. Alioqui à ſimili trãſitus ſiue per ſe ſolus ſit, ſiue vt iudicare hiſtoriã potis eſt, ad vſitatã experiẽtiam appellatam nos deducit, neque abſolutam veritatem, ſed quod fieri poſſe videtur, iuuenire ꝓmittit, ſi hoc idẽ ꝑterea probatiſsimorũ hominũ hiſtoria doceat, cui citra huiuſmodĩ experiẽtiã credimus, ſolæ verò trãſitiõĩ ad ſimilia nõ æq; fidim⁹, niſi experimẽtis quaſi q̀d tritũ cõſumatũq; euaſerit, ex dictis ſequitur non parũ eſſe diſcrimẽ, cui rei confidendũ magis ſit, & quod minus ſucceſſurũ ſperem⁹: vna enim res reliqua ſimilior eſt, neq; rationẽ ſimilitudinis à quouis ſibi temere oblato, aut ſimpliciter experiẽtia adinuenit. Nõ enim ſiquid figura, colore, duritie aut mollitie cũ altero cõueniat, ſtatim eſt exiſtimãdũ cõſimilis eſſe virtutis. At quæ odore aut guſtu ſimiles inter ſe ſunt, idẽ plerunq; efficere cõpertũ eſt, & quæ ſolo guſtu, multo magis, & quæ in vtriſq; conueniunt, maxime etiã in officij functione ſimilia inter ſe ſunt, quibus ſi eadẽ propemodũ figura, idẽ color, eadẽ ſubſtantia accedãt, adhuc magis patebit eoſdẽ effectus poſſe ꝓducere. Præterea quæ ſimiles in guſtu ſunt, nõ ab vno dũtaxat ſimilitudo æſtimari debet, vt ab acri vel aſtringenti, amaro vel dulci, auſtero vel acerbo, aut

ſalſo,ſed in totã rei naturã mẽte diligenter incumbere oportet, Aſtringit aloës,aſtringit & ſquama æris,habet p̃terea medicamẽtoſum quid, & guſtui alienũ, atq; inſuauè,ergo nec malo citonio ea eſſe ſimilia,neq; edẽdo cõmoda cẽſenda ſunt. Nõ igitur à meſpilis, &citoniis ad huiuſmodi trãſire oportebit, neq; in vrinæ,aut inteſtinorũ difficultatib' eiuſmodi exhibere cõueniet. At ſi inducẽda eſt cicatrix ad quæuis aſtringẽtia trãſire expedit,etiã ſi fuerint medicamẽtoſa, talia enim cicatricẽ obducere alias fuimus experti, ſi vero quẽ inteſtinorũ difficultas male habet, meli' cedet res,ſi in edulijs, primũ cõſimilis fiat trãſitus,ſubindeq; ad ea,quæ edendo nõ ſunt,ſi modo nullã grauiorẽ qualitatẽ præterea ſortita ſint,verbi cauſa,ſi cũ acrore & amaritudine iũgatur aſtrictio. Nãm huiuſmodi qualitates ſimul poſitæ nõ ſolũ guſtũ,ſed omnia vlcera incrudeſcere fuim', obſeruati. Et qm̃ rei aſtringẽtis duæ quaſi differẽtiæ ſunt,auſterũ,atq; acerbũ,(ſi quidẽ aſtringẽdi qualitas in acerbis intẽſior,in auſteris remiſsior,& debilior reperit̃)tibi rei poſsibilis tranſitum per illa facturo maior,vel minor cõcipienda eſt ſpes. Nã ſi idẽ prorſus ſit morb', in quo citoniũ, vel quid ſimile ꝓfuiſſe ani-

maduertimus,cōgruus erit trāſitus, ſi ad moderatè aſtringētia, quæ ſunt auſtera, deſcēdes. Quod ſi acerbū in ægritudine magis cōferre exploratū ſit,ad acerba melius trāſibis.Ex quibus perſpicuū eſt,de ſimilibus nō eandē ſpē in futuris euentibus habendā eſſe,ſed eatenus tranſitionē ſucceſſurā ſperandū eſt,quatenus maior, vel minor in reb⁹.ad quæ fit trāſitus, ſimilitudo intercedit.Vt ſi vir fide dignus id aluo fluēti cōmodū eſſe dicat, quod rebus expertis ſimillimū eſſe videat, ad hoc ſi fiat trāſit⁹,cur nō poſsibilē euentū in primis fore ſperabim⁹? Cui etiā fortaſſe aliquis abſq; ipſo trāſitu,vſitataq; experiētia cōſidet, & credet.Cōtra vero ſi qd nec hiſtoria cōprobatū, nec ſatis ſimile appareat, exigua in eo eſt ſpes.Eodē modo de trāſitionib⁹ dicendū eſt,quæ per idē remediū ab vno ad cōſimilē affectū fieri ſolēt, magis enim,vel minus in ipſis ſperandū eſt, prout ſimilitudo, & hiſtoria affectui, ad quē fit cōparatio, cōſentiat.Idē quoq; dico de eo trāſitu, qui a partibus ſumitur, quòd pariter cōcipienda eſt ſpes, atque ſimilitudines reſpōderint. Et quia hiſtoria de hac maioris minoriſq; ratione rectè iudicat,ipſiq; non ſecus,ac vero credimus,à ſimili vero trāſitus hāc ſolā habet fidem, vt fieri poſsit,planè cōſtat illi rei æq; ac ex

perimēto credendū esse, quam multorum fidelis historia refert, atq; ita se habere aliquādo vidimus, & rebus aliis à nobis expertis nō dissimilē esse cognoscimus. At si cōpluriū scriptorū sola adsit cōcordia, et quod ab his enarratur, nūquā cōspexim⁹, et rebus per nos antea pceptis minus simile esse videt̃, spes minus certa habēda est. Sed & adhuc erit incertior, si quod semel aut iterū, nō etiā plerunq; nobis cognitū sit, vnius duntaxat scriptoris authoritate fuerit cōfirmatū. Referā nūc tibi exēplū oportunū, vixit cū suis familiarib⁹ in quodā nostrati Asiæ pago per aliquod tēpus elephātiasi vir male affect⁹, qui cū domesticis maiū iā cōmunicare videret̃, ipseque et fœtore plen⁹, & quasi horrēdus ab oīb⁹ fugeret̃, affines nō pcul a pago in excelso quodā loco casam prope fontē ædificāt, ibiq; hominem collocāt. Huic ea cibaria quottidie apportabāt, quæ ad victū sibi sufficerēt, dū hic ibi vitā traducit, ad canis ortū messorib⁹, qui in pximo messem faciebāt, lagena odorati vini affert̃, ibiq; nō lōge à ipsis deposita relinquit̃, cū igit̃ bibēdi esset tēpus, ac effuso à quodā adolescēte vino in craterē, vt de more aqua diluceret̃, forte visa est vipera enecata, vnde veriti ne qd ex huiusmodi vini potu paterent̃

aquã bibũt,indeq́; profecti homini turpi elephãtiaſi vexato vinũ benigne tribuũt, rati illi meli' eſſe, quamprimũ mori,quã diutius ita viuere,qui cũ bibiſſet admirabili quadã ratiõe ex illo potu ſanatus eſt, eius enim cutis,quę prę duritie quaſi erat teſtacea facta,perſimilisq́; animalib',qui cruſta obtecti ſunt, tota prorſus deciſa abijt, eiuſdẽq́; caro æque mollis reddita eſt,atq; cãcrorũ,& locuſtarũ fit,vbi obductã teſtã exueris. Sic ille euaſit,cõſimile vero huic cõtingit in Miſia,quę & ipſa Aſię pars eſt,nõ proculà noſto oppido poſita. Elephãtiaſi ſimiliter quidã laborabat:hic cũ ad balnearũ aquas ſponte ſalientes ſpe cõmodi eſſet profectus, perpulchrã ancillã, quã perditè amabat,ſecũ adduxit,hęc & alijs amatoribus ſui copiã faciebat, cuius rei & cõſeruæ,quarũ cuſtodiæ penu & cælla vinaria cõmittebãt erãt cõſciæ, dũ igitur herus in domo quadã loco arido & viperis ſcatẽte diuertitur(ibi enim hoſpites,qui beneficio aquarũ vtebãtur eſſe oportebat)forte fortuna in vini lagena negligẽter à ſuis adſeruata mortua vipera, quæ deciderat,ab amata adoleſcẽtula eſt inuẽta:quã cũ vidiſſet, per oportunã necãdi herũ ſibi datam eſſe occaſionem exiſtimauit. Itaque eidem vinum propinat,

quo

quo exhausto ab eo incolumis redditus est, nõ secus ac pagano euenisse supra retulimus. Hæc igitur sint duo illius experiẽtiæ monimẽta, quæ ex casu habet ortum. Tertiũ vero à nostra imitatione accipies, Eodẽ morbo per multos annos afflictus philosophus cũ miser ita iaceret, & mortẽ vitæ anteponeret, prædictos euẽtus eidẽ recẽsui; qui cũ in augurãdi arte esset expertus seq; lõge peritiori amico vteretur, aues cũ illo obseruat, a quo cũ esset persuasus, vt quæ experientia probata essent eadẽ & ipse in seipso experiretur, vinum tali medicamẽto paratũ bibit, sicq; ex elephantiasi ad leprã malũ declinauit, quam nos postea cõsuetis medicamẽtis curauimus. Quartus præterea viperarũ venator cum hac peste vexari cœpisset, cõsulebat nos, vt eũ pristinæ sanitati quãcitissimè redderem. Nos igitur sanguinẽ mittere quã primũ iussimus, & deinde atrã bilẽ, mouẽte pharmaco corpore expurgato, viperis, quas venabãt in ollã anguillarũ more præparatis eũ vti præcepimus, qui quidẽ excusso per trãspirationẽ morbo san⁹ effect⁹ est. Adhæc bene nũmat⁹ vir Thracius somno admonitus Pergamũ se recepit & deinde iussu dei, quẽ acceperat quotidie exhausto medicamẽto, quod ex vi-

peris cōficitur,& extrinsec⁹ corpore perũ cto nō multo post leprosus euasit,ac rursus medicamētis a deo traditis perfectæ valetudini est restitutus. Nos vero omnibus hisce experimētis permoti medicamē to,quod cōstat ex viperis (theriacē appellāt) eo modo,quo iussit Deus, cōfidēter nūc vtimur, sed & sale theriaco,quē passim iā omnes preparāt,dū viuas viperas vna cū quibusdā medicamētis in fictili nouo cōburūt. Viperas etiā nō nullis iniūximus comedēdas,nēpe abscissis ipsorū capitib⁹,nō secus atq; in cōficiēdis pastillis theriacis facere solemus. Illud vero scitu dignū est, nō incōsiderate, aut de repēte horū aliquo vti oportere. Sed corpus purgādū prius est,vt antea diximus,& interdū etiā vena secāda,si ætas nō prohibeat, & robur affuerit. Curationē autē verno, tēpore,quod multis diuturnis morbis cō mune est,recte instituimus. Hæc copiose a nobis dicta sunt,ne cui mirū videat̃ multa casu eiusdēq; imitatiōe inueniri. Nā sicuti fortuna ex hoc ipso casu prębuit occasionē,vt quāplura videremūs,ita probabile est ex quopiā alio aliquid in arte fuisse repertū. De empiricæ medicinæ ratiōe & oratiōe,quæ mihi propria,& absolutissima ad recte curādū videbatur, hactenus

di

dictũ ſit. Sed quoniã nõ nulli, qui ſe hac in re principes vocari volũt, aliqua prçter ea addiderũt, nõ me pigebit etiã illa ſummatim percurrere. Et primũ cõcedaſ in quæſtiõe fuiſſe poſitũ, ſicuti reuera quæritur, qui ſit artis medicæ finis. Quid ita quærẽti reſpõdebit Empiricus, ſi tueri, vt cõſtãtiſsime ſolet, ſuas partes velit? Certe inquiet quæcũq; in corpore præter naturã ſunt, ſtudeo curare, idẽq; re ipſa cõprobare enitor, tu vero, quod dico, ſiue integritatẽ appelles, ſiue ſanitatẽ, ſiue integritatis, & ſanitatis acquiſitionẽ, ſiue ſanũ eſſe, vel ſanari, ſiue, quod ſecũdũ naturã in corpore eſt, tueri dicas, & regere nõ multũ laboro, modo quod polliceor, effectu ipſo oſtẽdã, & præſtẽ, quãquã ſcio hæc, & quãplura alia à fallacibus, & litigioſis hominibus perperã inculcari, qui tũ inter ſe litigãt, tũ tẽpus omne fruſtra cõſumunt. Sed valeat ĩepta ſophiſtarũ garrulitas, me vero in opere recte faciẽdo occupatũ, & in arte diligentẽ, eſſe oportet, ſic interrogãti reſpõderet empiric⁹. Quod ſi etiã prçceptis dialecticorũ de fine artis medicæ litẽ decidere aggrederetur, ab inſtituto diſcederet, nec eſſet Empiricus, quãquã nos in eo libro cui titulus eſt, de artis medicæ fine, hoc ipſum demõſtrauimus. Sed nec

rationes aliquas exquiret, quemadmodũ inepte facit Serapio & Menodotus. Præstat enim opere, & factis quã rationib' artẽ ostẽdere, & dialecticã euitare, sine qua nec cõclusiones nec ratiocinationes quęret vnquã, immo vero dissimulabit se scire huiusmodi res in cõtrouersiã reuocari. Neq; fallaces rationes, quæ euidẽtib' repugnare vidẽtur, infirmare tẽtabit, quin potius negliget, & pro nihilo ducet, neq; aliq̃d attinget, quod sensum effugiat, im manifestũq; sit. Probe em̃ nouit fallaces argumẽtatiões ipsis quoq; Dialecticis negotiũ facessere adeo solutu difficiles sunt. Præterea neq; multorũ verborũ, neq; lõgi sermonis erit Empiricus, sed instar Pirrhonis Sceptici interdũ loquetur, & pauca. Nã Pirrhon cũ diu veritatẽ vestigasset, nec eã tamẽ inuenisset, rerũ euidẽtiã secutus in reliquis actionibus, quæ occultiores viderẽtur, perpetuo hæsitabat. Ergo qualis in vita fuisse Pirrhonem refert Timon, talis in re medica erit Empiric', id est, vt neq; præterea honores affectet, nõ insolẽs sit, nõ dissimulator, nõ gloriosus, suã ipsi' artẽ (si opere cõprobabit) nõ secus homines suspiciẽt, atq; Hippocratẽ admirantur. Puta si luxationes alijs commodius curabit, si quę sæpe luxantur, cauebit,

uebit, ne quid tale rursus patiātur, si insuper fracturas, vulnera, vlcera, & quas cæteri curare nequeũt affectiones, ipse sanabit, si futura prædixerit, & si citra interrogationẽ ostendet se in ægro corpore multa antea obseruasse, & si etiam, quæ hactenus facta sunt, se scire demonstrabit. Hæc omnia cũ ab Hippocrate obseruarentur, meruit, vt apud suæ ætatis homines Aesculapii famã adęquaret. Non mehercule illũ, qui per tria auspicatur sermonẽ interrogãs, vti facit Serapio. Neque tripodẽ iactans, quẽadmodũ Glaucias, aut libros ad decẽ millia verba cõscribens, moxq; vt singula per se consistant, bipartitur, vel sicuti Menodotus, qui nõ secus ac canis latrans cõtumeliose admodũ deblaterat aduersus medicos, aut instàr hominis forensis, qui aperte cõuitionatur, planè est iniurius scurriliter atq; prorsus agit. Dogmaticos videlicet & medicos superioresq; philosophos δριμυμώρυς & δριμυλέοντες, hoc est, acres stultos acresq; leones & bene auratos appellãs, vel cõsimili nomine increpãs. Et quidẽ, quòd nõ solũ in Empirica facultate de multis reprehendẽdus sit Menodotus, sed quia nimiũ petulãti oratione Dogmaticos perturbet, potes nõ tã à nostris commẽtariis, quę de dictis

ab

eo in Seuerũ inſcribuntur, quã ab iis, quæ cõtra Aſclepiadẽ nugatur, cognoſcere. Ait enim ſibi certũ, exploratũq; eſſe eiuſdem hominis placita fuiſſe falſa. Et quãuis de rebus abditis ſe nihil certo aſſerere poſſe ſuis in libris ſępiſsime repetat, vtpote q̃ tũ verę, tũ falſę videri poſſunt, tamen cũ Aſclepiadẽ inſectatur quod vera nõ ſenſerit, credit ſe cõſtãtiſsime demõſtraſſe, & totam eius orationem penitus ſubtuliſſe, quaſi nõ aliquid cõtingẽs ſua in ſe habeat demõſtratio. An hęc Pirrhoni quẽ tã eximie laudat, ſimilia ſunt? fuit ille quieto pacatoq; animo, fuit facilis & benign⁹, qppe qui nõ niſi oportune, & quę decẽt, loqueretur, quod caidã vere Empirico euenit, qui nõ verborũ copia, ſed factis poti⁹ ſibi gloriã cõquirebat. Hic cũ difficilem morbũ ſibi curãdũ ſuſcepiſſet, quem primũ manuũ functione, deinde medicamẽtis tractare oportebat, vt res ipſa planè docuit, iãq; ad manus operã accederet, ecce delirus quidã medicus in multis deſipiẽs hominẽ incidere nõ oportere, ratione quadã euertere conatus eſt. At bonus Empiricus ad ęgrũ cõuerſus vno dũtaxat verbo cõtra fallacẽ illius orationẽ ſtatim victor euaſit. Ego interim, dicebat ipſe, recedo, vos huius verba, & opera, quę à mei

pro-

proficiſci ſępe vidiſtis, conſiderate, vt cui magis placuerit credatis. Hęc cũ dixiſſet domũ ęgreſſus abibat, ſed & delirus ſophiſta diſcedere fuit neceſſe, quẽ ægri affines permittẽtes abire, eũ reuocarũt, qui operibus artẽ oſtẽdere cõſueuit, rurſumq; ęgrotũ eidẽ curandũ tradiderũt. Sanè quidem nec peritiſsimus Demoſtenes, nedũ ſophiſta hominibus perſuaderet, quo minus eius fidei ſe cõmitterẽt, qui hac in arte præclara opera demonſtrarũt. Et tamẽ Serapio quaſi nouus Aeſculapius contra Hippocratẽ, qui tã eximiè medicinã illuſtrauit, impudẽter furere nõ erubeſcit. Hic enim ac ſi eſſet princeps medicorum, ſuis in ſcriptis mira de ſe prędicat, de veteribus vero, à quibus & olim artis ſplendor fuit, & nũc etiã viget, ne verbũ quidẽ facit. Sed cõtẽtiones Empirico mittẽdę sũt tantũ eñ abeſt, vt orationẽ illã admittã, quam ἐπιλυτικὸν & ἀντικαθεγερικὸν, id eſt, ſoluentẽ & cõtra dicentẽ appellãt, vt eos etiã, qui hiſce vſi ſunt, redarguã, pręſertimq; illos, qui aduerſus hæreſes dictã cõtradictionẽ in primis affectãt. Sed & ſi ad artiũ cõſtitutionẽ memoriã & ſẽſum præcipua eſſe exiſtimẽt, tamen ad diiudicãdã veritatẽ, quæ in ipſis eſt, hæc ſola non ſufficere arbitrãtur. Quare recti illi vim quãdam

dã in nobis insitã necessario ponẽdã esse putãt, quæ quid repugnet, aut consequatur cognoscere, & iudicare queat. Nã nisi eiusmodi facultas in nobis insit, ne verbũ quidẽ rogare, neque redarguere, qui perperã rogati sunt, tentabimus, at quòd in huius excolẽdæ vsu & studio insistãt Empiricus, vt Eraclides Tarentinus credit, non necessariũ esse existimo, primis enim à natura insertis seminibus imbuti, ab eademq; luminibus quibusdã illustratis ingeniis cõtenti esse debemus. Videre enim licet Tarentinũ, qui licet vim illã plurimũ exercuerit, Hippocrate tamẽ in medendo lõge inferior habetur. Menodotus quoque huic non dissimilis fuit, qui interdũ præter memoriã & sensum, tertiũ interposuit, quod epilogismũ appellat, interdũ sola memoria, & epilogismo cõtentus est. Vt planè ostendi, in eorum cẽsura quæ ab eodem contra seuerum scripta sunt, fallacesq; argumentationes eo studio componit, quo alios empiricos reprehendat, & arguat, quod inepti sane, ac planè rudis hominis esse videtur. Nã cauilla eiusmodi diluere non artis empiricæ munus est, sed Arisiotelis, aut Crisippi, aut si qui sunt alii in dialectica studiose exercitati, alioqui siqua est ingenita cogitã-

di

di in nobis virtus, vt certe eſt, quòd huic accommodanda addiciendaq; experientia ſit, ſatis ſuperq;, in introductorio Theuta quo modo fieri debeat, dictùm eſt, immo, ſi vera fateri volumus, in aliquibus nimius, ſuperflùuſque videri poteſt. Sed de his ad plenum noſtris in commentariis ſuper eius introductorium ſcriptis oſtendimus, in hoc vero libro modũ explicaſſe ſufficiat, quo quis prætermiſſa rei ſubſtantia, & abſque rationis vſu & exercitatione empirice artem medicam cõſtituere poſsit. Quod vero Aſclepiades ſuis quibuſdam captionibus hoc minus fieri poſſe contendit, in alio libro proxime à nobis edito ſolùta omnia ſunt. Cæterum recta ratio experientiæ copulata quantum artes adiuuat, in volumine de ratione medendi (θεραπευτικὴ μέθοδος inſcribitur) abunde dictũ eſt, ſed & quod omnes homines naturali vna ratione participet, in opere de communi ratione diſputaui, vbi oſtendi, quod rerum omniũ de quibus aliquid enuntiamus, vel ſolo ſenſu, vel naturali quadam repugnantis conſequentiſq; notione cognoſcuntur, & quod conſequentium notiones aliæ neceſſariæ ſunt, quas natura perſpicaces planè intelliguntur, aliæ verò contingentes.

gentes, in quibus plerique homines teme re hallucinantur, dum quod contingens est, vt necessarium cōcipiunt. Quod fuit in causa: vt Dogmatici inter se dissiderēt. Nos vero si hunc errorem effugere cupimus, a multis, quæ ferè supra captum no strū sunt, vinci patiamur. Sic enim quæcunque de aliquibus pronunciabimus, erunt saltem inter se consentanea. Neque enim aliunde nisi ob hanc causam & ipsa Empiricorū discrepantia emersit, quemadmodum monimenta, quæ de ipsorum discordia fecimus, aperte declarant.

FINIS.